


WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

JOANNIS HENRICI COHAUSEN

Hildeſio-Saxonis. M. D.

OSSILEGIUM
HISTORICO-PHYSICUM,

AD

CLARISSIMI VIRI

JOD. HERM. NUNNINGII

JC. Canon. & Scholaſt. Vred.

SEPULCRETUM
WESTPHALICO-MIMIGARDICO-GENTILE.

In quo

De Urnis, ac Lapidibus Gentilium Weſtphalorum Sepulcralibus pertractata variis circa cineres & oſſa obſervationibus phyſicis illuſtrantur.



ANNO CIↃIↃCCXIV.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ:

Apud MICH. ANDREAM FUHRMAN, Bibliopolam.

ILLUSTRI VIRO

D. JODOCO HERMANNO NUNNINGIO
J. U. D.
Dignitate Ecclesiasticâ,
Omnifariâ Eruditione ut & Scientia politiori
conspicuo,
Polyhistori, Geographo,
Nec non rei Numismaticæ perscrutatori
indefesso,
Sepulcreti Westphalico-Gentilis Editori,
Favitori suo & Amico magno
Salutem & Longævitatem.



Aciunt apes Mellilegium: humanis commodis non exiguus inde est accessus. Instituunt boni OEconomi Spicilegium: etiam parta servare virtutis est. Florilegium non intermittunt Botanici: sic quóq; tum voluptati tum utilitati humanæ litatur. Sed quis ex Ossilegio vel ipso nomine, multò magis praxi, horrido utilitatis quidpiam exspectet? Dubitâssem sanè, fateor, ipse de utilitate, nisi inter Philosophorum Coryphæos non postremus è Familia Sancti Benedicti Frater Basilius Valentinus mihi occurrisset, in capite, *inquiens*, mortuo seu ossibus mortuis adhuc latet thesaurus. *Ossa legere virtutis esse, certè vix cuipiam videbitur. Oportuisset potiùs ea terrâ tegere, aut saltem*

suis

ſuis relinquere intacta conditoriis. Sed neq; hoc vitium eſſe confirmat inter antiquiores Vates de Chriſtiana præprimis prudentia maximè celebris Prudentius:

Tum de corporibus ſacris favillæ,
Et perfuſa mero leguntur oſſa.

Paganorum oſſibus non injicere aut levem non precari terram Gentili piaculum eſto: jus illud manium non obligat Chriſtianum. Vetitum eſt Moſchorum populis, non Chriſticolis, hominis mortui tractare oſſa, quod quidem à magorum præſtigiis parum abeſſe arbitrantur, eo legis rigore id prohibentes, ut dum Chyrurgus quidam Quirinus nomine inter Moſchos habitans ſtudii Anatomici cauſâ ſceleton humanum tractare fors inveniretur, pro necromantico habitus vix fugâ vitam ſalvaverit regno ejectus & ſceleto flammis addicto; ceu teſtis eſt Olearius legationis Holſaticæ in Moſcoviam & Perſiam Secretarius. (*Voyag de Moſcov. & Perſ. p. 128.*) *An verò voluptatis eſſe imaginabimur mortuorum excutere loculos, eruere urnas, ſcrutari cineres? certè Veſpillonem agere nec dignitatis eſt nec jucunditatis. Tractare favillas ſtipulis leviores haud viri gravis opus eſt. Exuſta oſſa ut parum ponderis habent phyſicè, ſic minus obtinent momenti ad rerum naturalium cognitionem. Verùm apage cui minerva ita rudis domi eſt, ut ſic ſentiat, aut ita dens mordax, ut mortuorum oſſa arrodat. Vir ſapiens non exhorreſcit tetricum odorem ſepulcri, in quo reconditur veritas; cujus nunquam tam diuturna aut arcta eſt ſe-*

pultura, quin præ fætore poſſit aperiri, & protrahi in lucem. Candidius multò de hiſce tibi judicium fuit Vir Eruditiſſime, qui, ut incolarum Weſtphaliæ Gentilium erueres monumenta, non detrectâſti horum reſerare ſarcophagos & veritatis amans & avidus Scientiæ atq; Hiſtoriæ. Qui quidem conatus ita felici tibi ceſſit minervâ, ut literale Sepulcretum Weſtphalico-Gentile *erexeris ſtructurâ novum, rerum contentarum antiquitate vetuſtiſſimum, cujus nuperâ ad lucem publicam expoſitione Curioſos non leviter devinxiſti. Noviſti me non ſemel in effodiendis ac perluſtrandis feralibus urnis tibi fuiſſe comitem, unde negligens ſanè fuiſſem, niſi & ipſe feciſſem Oſſilegium, ad tuum iſtud Sepulcretum non planè aſymbolus. Scrutatus es inquilinos Gentilium cineres eâ diligentiâ, quæ patriæ monimentorum ruminatorem haud dedecet: Ego nunc illorum oſſa phyſicè, quod Medico inconveniens non eſt, propono indagare; quò ex umbroſis ejuſmodi reliquiis ad plurium rerum ſcitu non indignarum notitiam & dubiorum deciſionem lucis non parum emicare pateſcat, ita ut qualemcunq; à te iſti ſcrutinio impenſum laborem qui penitus fruſtraneum aut inutilem judicârit, meritò Mydæ nepos ſit cenſendus. Debebam autem hoc tuo Sepulcreto aut Supplementum aut Commentarium, perinde eſt quo nomine velis opellam dignari, eò quòd ejus me reum fecerim in Epiſtola ad te ante biennium miſſa, quæ ad Sepulcreti tui calcem adjecta facta*

cta obligationis memoriam refricavit. Fateor, id ita promittebam eo tempore, veluti materia præformata mihi jam tum esset in promptu, & fætus partui maturus, cujus ne rudimenta quidem tum existebant. Interim cùm antiquiora hæc Dioeceseos Monasteriensis Monumenta tuus rimandi ardor meum quotidie accenderet, tot præter opinionem occurrerunt, quæ non Spicilegio duntaxat sed vel uberrimæ messi faciendæ essent satis: cùm vel quilibet Sepulcreti tui paragraphus novas mihi suggereret materias ulteriori indagine non penitus indignas. Verùm nolui angustæ dissertationis carceres excedere, sed vel tuis hinc inde motis dubiis tantùm respondere, vel tuas succinctè corroborare sententias, vel meas etiam tuâ pace & citra tuarum præjudicium liberè in medium proferre: cùm is tibi laudabilis sit genius, ut non sic propriis inhæreas, quin alienis promptè subscribas sententiis ratione firmatis. Non ignoro minutiora quidem hæc esse, quàm ut ex iis aut sperare aut exspectare fas sit alicujus in publicum momenti emolumentum, sufficit nobis quòd jam uberem ex eo fructum susceperimus, nempe & rerum non paucarum notitiam, &, quod non minus est, animi à morosioribus curis quandoq; relaxationem. Cui porrò ut magis imposterum te dedas, suasor forem, inprimis ob corporis tui texturam infirmiorem, ne eam nimia studiosæ mentis intentio aut minuat aut immaturè frangat. Ad cineres quidem, *ut utar verbis Romani Sapientis*, omnis ista *Sen. conf. ad Marc. c. 11.*

 quæ

quæ in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba dispari gradu vadit, & quæ veneraris & quæ despicis unus exæquabit cinis: *sed propter illustrandos proavorum cineres accelerare proprios, nemo certè, hâc præsertim in patriâ, operæ pretium fuisse aliquando judicaret. Satius ergo erit, dum cogitas de aliorum funere, de proprio timere, ne alienis intentus Sepulcris tuum fortè reperias. Et hæc tibi pro consilio optimo, quà medicus. Quà verò amicus inter cœteros tuos certissimus præsentem Sepulcreto tuo Gentili monumenti vice appendo tabellam, quam eâ quâ offero manu, à te spero acceptari, id est amantissimâ; ut si luce dignam censeas, operi tuo novam editionem propediem affectanti adjiciatur. Vale amicorum suavissime & tui cultorem syncerissimum perge amare.*

Vredenæ ex Musæo
Idib. Februar.
MDCCXIV.

OS-

OSSILEGII HISTORICO-PHYSICI ELENCHUS,

CAPUT I.

Centralis rerum Essentia in combustorum cineribus superstes, ceu cadavera cremandi ratio ab *Eudoxo* allegata, ventilatur & confirmatur.

CAPUT II.

Ex XIV. Vasis Frisiæ funeralibus ab *Eudoxo* productis præcipua urnula rursus in conspectum & scrutinium adducitur.

CAPUT III.

Circa ossa & cineres eoq; spectantium conditionem varia ab *Eudoxo* mota dubia resolvuntur.

CAPUT IV.

Erroneis circa urnas sepulcrales & ossa sententiis ab *Eudoxo* refutatis aliæ adjiciuntur.

CAPUT V.


Sententia *Eudoxi* contra Picardum confirmatur Dialogo Picardi & Surboldi in campis Elysiis, de urnis & magnæ molis silicibus sepulcralibus.

CAPUT VI.

Varia in sepulcris & ad urnas paganorum inventa curiosè disquiruntur.

CAPUT VII.

Solennitatum apud Romanos funebrium ab *Eudoxo* descriptarum modus & ordo in typo Politico-Allegorico proponitur.



OSSILEGII HISTORICO-PHYSICI CAPUT I.

Centralis rerum Eſſentia in combuſtorum cineribus ſuperſtes, ceu cadavera cremandi ratio ab *Eudoxo* allegata ventilatur & confirmatur.

SEpulcreti Weſtphalico-Gentilis Conditor doctiſſimus NUNNINGIUS (quem deinceps hoc ſcripto *Eudoxi* nomine ſemper compellabimus) antiquiſſima apud Weſtphalos Gentilum Urnarum depoſita à primo ortu ſcrutatus, in combuſtionis per univerſum ferè orbem ſub Ethniciſmo quondam uſitatæ cauſas meritò primùm inquirit, *In combuſto*, ait, *reſtare cineres, in iiſq; perennem quandam Eſſentiam & virtutem ſuperſtitem.* Hoc igitur præ reliquis dignum erit ſcrutinio, ut veterum Weſtphalorum urnis feliciter in diem ab eo protractis poſt tot ſeculorum umbram nova lux accendatur.

Sepulcr. Weſtphal. Gentil. c. 1. §. 5.

Combuſtio mortuorum apud Gentiles, etiam Weſtphaliæ incolas, peracta liquet, non liquet peractæ ratio. An veritati putabimus conſentaneum ea, quæ nobis ſunt cognata immortalitatis ſemina, ceu loquitur ſubtiliſſimus Scaliger, nota fuiſſe Gentilibus, ut domicilium animæ, quam neſciebant immortalem, noluerint poſt fata malè haberi? an credemus barbaris innotuiſſe perennem quandam corporis, quæ in cineribus ſuperſit, Eſſentiam? nunquid potiùs poſterioris ævi Phyſicorum ſolertiâ, aut fide potiùs Chriſtianâ, detectum ſtatuemus, reſtare in cineribus Phœnicem aliquando redivivum? hæc mihi ſeriò meditanti, ipſáſq; inter mortuorum umbras, libros puta, verſanti occurrit perſpicaciſſimus rerum Phyſicarum indagator Tackius his me verbis interpellans: *Ideo tam ſanctè obſervârunt ſuos cineres antiqui, forte hodie adhuc tam honeſtè ſepeliuntur corpora noſtra, quia in cineribus*

De Myſt. Reſurr. rer p. 26. & 45.

eorum

eorum adhuc latet vitæ quiescentis scintilla... Dum enim in sale tanta est soliditas & perseverantia, haud sine causa suspicati sunt Philosophi, esse in sale æternum quidpiam, neq; rerum ideas post mortem omnino deleri, quin potiùs in sale in cineribus adhuc residuo esse & manere subjectum ad novam vivificationem idoneum. Arridet Viri Eruditissimi conjectura: perplacet conclusio *Eudoxi: in ipsis quoq; cineribus concrematorum semina quædam æternitatis gliscere.* *c.1.§.6.* Sed res nondum planè est indubitata. Unius authoritas mihi in rerum naturalium examine versanti haud plenam facit fidem, & difficulter credulo vix omne eximit dubium. Accedit vir togâ illustris, seculi proximè elapsi Philosophus incomparabilis, Don Janus Espagnetus, suum hisce addens calculum: *Observatur aliquid immortale in humido radicali, quod neq; morte evanescit, neq; ullis ignis violentissimi viribus consumitur, verùm in cadaveribus & combustorum cineribus invictum remanet.* *Enchir. Phys. rest. Can. 214.*

Convincor ferè majestate viri, cui vel ipse cesserit Aristoteles. Videntur isthæc speculativè quidem vera: sed Physicus sum, non credo, nisi videam; demonstratio quippe realis in rebus naturalibus fortior est omni syllogismo. Ingredior itaq; laboratorium (ita Vulcani Chymici officinam artistæ appellant) non ecstaticè, sed physicè: ubi in limine mox advolans Robertus de Fluctibus inter Anglicæ Gentis Philosophos & magiæ naturalis Proto - Mystas non postremus, salem ex capitis humani à se calcinati cineribus extractum monstrat, in scutella aquæ aliâ paropside tectâ positum, qui hominum cruci affixorum imagines ectypis exactissimis repræsentat. *Tr. de supernat. morb. cur.* An nondum, inquit, credis ideas rerum in cineribus servari? stupui sanè, & voce faucibus hærente suspendi judicium. Superveniens autem Beccherus vivorum mortuorumq; physices corporum Analysta accuratissimus, ex ossibus humanis conflata ostendens elegantissima coloris opalini, lactei, & narcissini vitra his me alloquitur: Dic sodes, num in cineribus dubitas latitare perpetuum? vitrorum illa materia licet vel centies Vulcano subjecta non fatiscit, nec destruitur. *Phys. subterr. part. 3. c. 3. n. 3.* Talia vitra rarithecium Viennense hodiedum ostentat. Rationem reddit laudatus Espagnetus: scilicet *humor radicalis ignis communis tyrannidem spernit, neq: aut martyrio deficit, aut volatu recedit, sed mixto superstes ejus cineribus pertinaciter inhæret.* *l. c. Can. 216.*

Fateor, convincor propè, & in trium horum exceptione majorum testium Angli, Hispani & Germani abeo sententiam. Non discedit ab his Gallus rerum quidem mirandarum observationibus clarus, dubites

tamen an in omnibus fidem æquè promeritus, quam sibi nihilominus dari postulat. Borellus ille est, qui sic effatur: *Quod omnem admirationem superare debet, in phiolis licitâ necromantiâ patrem, avum, atavum, totamq; prosapiam, imò antiquos Romanos Hebræos, & quemcunq; volueris* (quid ni ergo & antiquos nostros Westphalos?) *absq; pythonissa ad libitum accerses cum propriis figuris, modò eorum ossa vel cineres servaveris.* Horreo sanè nec experimenti capiendi urget lubido; tametsi meticulosum fortè rideat Burrhus, famosissimus ille Sophista dicam an Philosophus, qui memorante celeberrimo Monconnysio ex terra Cœmeteriorum mortuorum species & phantasmata umbratili quodam resurrectionis schemate in vitro potuit spectantium oculis sistere.

Miranda equidem hæc omnia, & sat luculenta sunt testimonia in cineribus atq; ossibus restitare vitæ scintillulas, ut proin moderni ævi Philosophis principibus, qui id pro indubitato habent, nec non *Eudoxo* nunc assentiri non amplius refrager. Verùmtamen ut quod sentio fatear, non est curiosiùs ludendum cum umbris, quæ vel suâ sponte in ossibus se sistunt. Felici Platero medico nominis celebritate notissimo serâ nocte domum reduci atq; musæum intranti Sceleton, quod habebat domi, Anatomicum obviam processit. Dum ossa humana in cineres seu calcem pro usibus medicis redigerentur, spectriformis contigit apparitio, referente Claudero archiatro Ducali Saxonico nuper famigeratissimo. Horripulant crines cogitanti casum, quem recenset Königius illustris hodie in Lycæo Basiliensi Professor. Jusserat Joannes Michaëlis Lipsiensium quondam Chymiater curiosissimus latronis integro quadriennio in rota subastrati ossa ad oleum ex iis chymicè obtinendum calcinari ab amanuensi, qui eorum fragmina in musæi mensa seponit, ubi diebus aliquot perstitêre. Dormiebat hic in cubiculo, quod musæo erat contiguum. Accidit mense Junio, quod unâ post mediam noctem horâ adhuc vigil, januâ cameræ sponte apertâ, circa mensam musæoli strepitum perciperet. Convertit illuc protinus oculos, ubi in ipso dictorum ossium pulvere sese spectandum offert caput humanum, cui citò accrescit thorax cum adnatis brachiis. Animo stupescenti oculi invitissimi mox monstrant connexum hisce abdomen cum conjunctis cruribus. Cogebatur misellus iste figmentum hoc reale nolens volens aspicere, imò plus ultra observare, quod extemporaneus iste longurio, omnia latroni similis, faciemq; capillosq; atq; pedes, eâdem insuper indutus chlamide, quæ illum patibuli ac mortis candidatum vestierat, dum ad aërium suum sepulcrum educebatur (audi & obstupesce) de mensa descen-

Misc. cur. dec. 2. an. 8. p. 315. Regn. veg. sect. 1. c. 11.

descenderet. Quis fuerit hominis horrenda hæc videntis, & nisi musæum transeundo voluisset tangere ingratum hospitem, aufugere nescientis pavor, lector judicet. Tandem spectrum molestissimum sese vertens & musæi januâ exiens metu liberavit spectantem. Sic sanè vel ipsa mortuorum ossa scientiam faciunt, post mortem in cineribus restitare æternitatis semina. Num verò apud Latii aut etiam barbaros Westphaliæ nostræ incolas extiterit sublimior hæc immortalitatis fides, quæ prima rogis dederit initia, haud operæ pretium est indagare. Sumus nos Christiani plùs quàm certi de hac veritate, quam ipse Deus stupendâ certè inductione voluit reddere magis indubitatam.

Compello te Buziades Propheta, enarra quid tibi contigerit. *Facta est super me*, inquit, *manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus: & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaq; vehementer.* Mirandus certè in spiritu raptus, sed magis stupendum spectaculum! reverà non fuère illa Gentis combustæ ossa. Verùm non interrumpam: perge Propheta recensere quid videris. *Et dixit ad me: fili hominis putasne vivent ossa ista? & dixi Domine Deus tu nôsti.* Quid? tantus Propheta de veritate resurrectionis dubitas? sic de ossium dissipatorum infallibili ad unam aliquando compagem reductione hæsitas? *Et dixit ad me: vaticinare de ossibus istis & dices eis: ossa arida audite verbum Domini: hoc Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis. Et dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & super extendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & vivetis, & scietis quia ego Dominus.* Certè si hæc novisset aut credidisset cœca Gentilitas, ossa haud dedisset incineranda rogis, sed methodo longè arcaniori vel thesauri loco servâsset. Verùm audiamus rei eventum. *Et prophetavi sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me: & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa: unumquodq; ad juncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant: & dixit ad me: vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis & dices ad spiritum: hæc dicit Dominus Deus: à quatuor ventis veni spiritus & insuffla super interfectos istos & reviviscant. Et prophetavi sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntq; super pedes suos, exercitus grandis nimis valde.*

C. 37.

O stupore ac horrore plenum spectaculum! quod tametsi haud sensuale, sed ecstaticum dumtaxat fuerit (in spiritu enim se eductum

 memo-

memorat Propheta) infallibilem tamen resurrectionis veritatem continet, & pro vita in ossibus basin stabilit, & spiritûs vitæ universalis existentiam confirmat. In spiritu namq́ est rerum vita, sed nonnisi ex

Ps. 140. jussu Dei: unde Physiologus Regius: *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Ubi & spiritûs nostri & spiritûs Dei expressa fit mentio, ut nos quidem per spiritum vitæ, sed nonnisi spiritu creatoris mediante, vivere innueret Propheta coronatus. Spiritus namq; vitæ in quatuor ventis, id est in condo elementorum, sed magis Christianè in manu Dei servatur. Quod eleganter

in Libro contra Gentes. quoq; Tatianus scriptor græcus, sed pro dolor in hæresin postmodum lapsus, his verbis explicat: *Quamvis caro tota incendio absumatur, tamen materiam evaporatam mundus excipit. Quamquam aut in fluviis aut in mari contabescam, aut à feris dilanier, condor tamen in penu locupletis Dei. Quod licet mendici* (Philosophos Gentiles intelligit) *& impii nesciant, Deus tamen qui regnat, materiam sibi soli conspicuam, quando voluerit, ad pristinam cohærentiam machinamq́; restituet.* De quo non minùs nitidè Minutius Felix in Octavio: *Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodiâ reservatur.* Idem

Lib. 7. nec ipsis Ethnicis planè ignotum fuisse patet ex Lucano:

- - - - - - tabesne cadavera solvat
Aut rogus, haud refert: placido natura receptat
Cuncta sinu.

Ex quibus haud difficulter intelligitur, quare in visione Ezechielis spiritum à quatuor ventis repetendum voluerit Dominus. Meritò itaq; Vates Regius profundiùs pensitatâ humanorum ossium structurâ atq; naturâ stupore quasi raptus, in debitæ gratitudinis verba ad Conditorem

Ps. 34. *v.* 10. suum erumpit: *Omnia ossa mea dicent Domine quis similis tibi!* Westphalia Gentilis profectò similis est campo, in quem deductus est Propheta. Posuit illa in medio montium & convallium, in ericetis, ad vias aviaq;, sub silicibus, sub colliculis, aggeribus, in urnis cineres & ossa arida. Regredietur in illa aliquando spiritus & reviviscent, stabuntq; super pedes suos copiæ magnæ quàm plurimùm, sed quod dolendum nullâ resurrectionis spe ad futuram gloriam. Animæ immortalitas à Gentilibus nescita est, cupita tamen. Ejus perennitatem sagaciores suspicati sunt, sed cum formidine oppositi. Unde Gentilis Philosophus jam jam moriens: *An anima*, inquit, *immortalis sit, mox sciam.*

sciam. Tantâ ergo diligentiâ imò & reverentiâ ac religione à busto institutum est Ossilegium, suscepta filiorum ossa à matribus, rigata lacrymis, osculis culta, urnisq; recondita. Sed quare? ut ipsis manibus esset quies, & per stygiam paludem ad campos elysios permissa transmigratio, ad quos inhumatis non dabatur transitus. Verùm apage fabulas & cæcæ Gentilitatis umbras, quæ dudum disparuerunt per fidei lucem, quâ spiritum ossibus mortuis revivificantem aliquando affore credimus, & ex Salvatoris gratia palingenesiæ gloriam speramus Christiani. Utinam in omnibus divini amoris face accendatur rogus, cui non ventus, quem Gentiles optabant cadaveri celeriùs cremando, illabatur, sed supercœlestis spiritus! ad quem cum Cardinali *Bona* nunc vota dirigo: *Via Comp. ad Deum c. 11.*

Descende flamma, illabere
Cœlorum ab arce fulgida,
Cor, ossa, fibras concrema,
Venas, medullas, viscera,
Ipsamq; mentem ac spiritum,
Ut totus ardeam tibi.

Dicam sic feliciter crematus cum eodem: *Quid eveniat mihi Domine, semper laus tua erit in ore meo, linguâ autem deficiente omnis respiratio mea sit laudis tuæ significatio. Corpore verò extincto & in pulverem redacto, laudes tibi infinitas dicant minutissima quæq; pulveris grana usq; ad extremum judicii diem.* Ita ita fiat. Et tantum de hoc argumento. Pergo ad alia. *C. 6. Dec. 6.*

CAPUT II.

Ex XIV. Vasis Frisiæ funeralibus ab *Eudoxo* productis præcipua urnula rursus in conspectum & scrutinium adducitur.

PErcrebuerat *Eudoxi* Monumentorum abdita subtus Horizontem Westphalicum scrutantis fama ad Illustrifs. D. Comitem Styrummio-Limburgicum in Arce Borculo commorantem. Accersitur itaq; humanissimis literis, ut de nonnullis sub solo Frisio repertis Gentilitatis reliquiis penes Eum servatis suum quoq; judicium impertiret. Curiosissimo Mecænati gratificandi promptitudo mox eò non invitum ducit *Eudoxum*, & me, utut non accitum, eò comitem rapit curiositas. Accedimus exspectati & bene accepti. Sistuntur nobis, præter *confer. Sect. 1. c. 2.*

ſpem opportunè XIV. ferales urnæ è Friſiorum humo delatæ, magnitudine & figurâ ſatis differentes. Excutimus & luſtramus omnes quotquot erant avidiſſimis oculis atq; manibus. Harum ergo ceu non inelegantium, ut & iis adjectorum, deſcriptiones atq; ectypos delineatis Weſtphalici Sepulcreti reliquiis diſertè adjecit *Eudoxus*. Permittet igitur Vir amiciſſimus mihi earundem quoq; unà ſpectatori ac ruminatori, ut inſigniorem ex iis atq; præcipuam hìc rurſus in medium adducam, ex eaq; obſervationis phyſicæ Oſſilegium, & animadverſiones non penitus inutiles faciam.

Sect. 1. *c.* 5. §. 6. Tab. IV. & VI.

Reliquias in omnibus ollulis deprehendimus planè eaſdem, crematorum nempe oſſa & cineres, unius tamen peculiaria additamenta: quæ exactè ſatis recenſuit, & deſcripſit omnia *Eudoxus*; ſi, quod cum reliquis quoq; inerat, unicum (de quo hìc potiſſimùm nobis ſermo erit) exceperis, oblivione neſcio quâ ab eo præteritum. Ferale hoc oſſuarium exiguam cinerum, ut cœtera, continebat quantitatem. Et quid mirum? quod ex cadavere in ſarcophago ſitum, cariem & conſumptionem paſſo poſt annos reſtat, exiguum eſt, multò minus quod ſupereſt ex combuſto. Id quod prælaudatus Prudentius quoq; voluit innuere:

Cathamer. Hymn. 10.

Non ſi carioſa vetuſtas
Diſſolverit oſſa favillis,
Fueritq; ciniſculus arens
Minimi menſura pugilli,
Hominem periiſſe licebit.

Conqueritur hoc ipſum defuncta apud Propertium Cornelia de urnula ſuos continente cineres:

Num minùs immites habui Cornelia Parcas,
Et ſum quod digitis quinque levatur onus.

Profectò quod quinque digitis levatur, non magni eſt ponderis. Scilicet affirmante Nemeſiano poſt cadaverum per buſta nec non in terra incinerationem

Eclog. 1.

Vix manet ex toto parva quod urna capit.

Legunt alii *ex tanto*, perinde eſt, parum reſtat. Quod & ipſe non ſemel in tumbis nobilium poſt ſecula recluſis ſpectavi autopta. Adſtiti aliquando, dum in Cymbria ſarcophagus ſtanneus in hypogæo ſepulcrali ad Comites Ranzovianos pertinente recluderetur, in quo ante centum, & quod excedebat, annos, adoleſcentis perilluſtris corpus fuerat reconditum. Scrutatione diligenter factâ nil præter pauca oſſa & aliquot cineris manipulos, & ex floribus arefactis corollam (quæ vel ipſo corpore humano ſe teſtabatur perenniorem) in eo licebat reperire. Satis

itaq;

itaq; aptum Severi Imperatoris jam cum morte luctantis erat effatum, quod refert Xiphilinus. Jusserat is ferali horâ, priusquàm è vivis discederet, ad se deferri urnam suam mortualem ex lapide porphyretico confectam, quam manibus contrectans ingeminabat: *Tu virum capies, quem totus terrarum orbis non cœpit!* Certè cogitatio, si fastu libera fuisset, digna imperante, qui tamen jam tumulo proximus nondum desierat tumere. Quare autem ex cadavere tantillum restet cineris, hæc est ratio. Corporis humani pars maxima liquidis ac mollibus constat, quæ, utpote penitus volatilia, per ignem in halitus & fumos dissipata avolant, cinere, qui superest, potissimùm ex ossibus restitante; in quem vel ipsis urnis inclusa ossa tractu temporis tandem fatiscunt: ùt qui hodie in ossuariis reperitur cinis, ab iis attritis potiùs decussus, quàm è rogo lectus videatur.

Præter cineres ollula continebat ossium semiustorum cariosa fragmenta, & inter illa duos dentes (de quibus silente *Eudoxo* nunc referam pauca) unicum integrum & candidulum, à flammis certè penitus intactum, alterum ab ustrinâ notas sat manifestas præseferentem. Conjectura mea est, hunc quidem ex ipso rogo cum cœteris ossibus fuisse lectum, & relatum ad urnam, illum verò nitore adhuc conspicuum dubio procul excidisse vivæ (nam fæminei cadaveris reliquias adjectus pecten, ex globulis lapideis armilla, & fibula satis probabant) quem proin cineribus suis in olla funebri adjiciendum decreverit. Magna quippe ut cœterorum ossium, ita & dentium æstimatio erat apud Gentiles, quam etiamnum hodie penes regni Peruani incolas vigere testis est Nicolaus Monardus, adeo quidem, ut Diis suis sacra facturi eos sibi eximant, & summi cultûs nomine tanquam præstantissimum optimumq; ex homine donum offerant. Apud Hebræos eorum pretium non fuisse exiguum, ipsæ sacræ paginæ fidem faciunt; ubi supremus legum Conditor præcepit, servum cui Dominus dentem excusserit manumitti. Apud Romanos lex XII. Tab. vetabat aurum addi mortuis sepulcro vel rogo destinatis: soli dentes obtinebant privilegium, ut, si fortè essent vel ex ebore insititii, vel, tametsi proprii, ob impediendum tamen casum auro vincti, aurum istud liceret rogo inferri. Lex ita habet: *Ast quoi auro dentes vincti sient, im cum ollo sepelire urereve se fraude esto.* Ratio legis erat, quia nolebant defuncto dentes eximi, sed eos aut rogis, aut urnis adjici & contumulari. Fortassis quòd non nisi dentatos Divorum epulo in campis Elysiis vesci posse crederent: nam & pueros priusquam genito dente cremari mos Gentium non erat, Plinio memorante. Consuetudinis autem fuisse, dentes

Histor. nov. orb.

Exod. c 21. v. 27.

Cicer. l. II. de leg.

l. 7. c. 16.

dentes quoq; integros, neq; rogo unquam dicatos busti adjicere reliquiis, dens hic integer nullum ex igne monstrans vestigium, unà cum additamentis reliquis à flamma pariter intactis, satis potest docere. Nam nisi casum apprimè fortuitum exceperis, non patet, quo fato pyræ flammis resistere potuissent. Ad istam dentium contumulationem allusisse videtur Martialis Epigrammate hoc in malum Poëtam sarcastico:

l.8. Epig. 57.

Tres habuit dentes, pariter quos expuit omnes,
Ad tumulum Pincens dum sedet ipse suum,
Collegitq; sinu fragmenta novissima fracti
Oris, & aggestâ contumulavit humo,
Ossa licet quondam defuncti non legat hæres,
Hoc sibi jam Pincens præstitit officium.

Extra rhombum itaq; haud erit laconicè nunc ostendere, quæ ex dentibus hisce sequelâ verosimili nedum certâ concludi posse sentiam. Physici enim est eorum, quæ lucis quidpiam possunt afferre ad rerum naturalium scientiam, nihil præterire. Riolanus inter ævi sui Professores Anatomicos non infimi subsellii, postulatum literis credidit tam firmo in natura nixum fundamento, ut vel ab unica nostra hac urnula penitus destructum corruat. Hausisse id videtur ex fontibus Plinianis, juxta quos corpora defunctorum sarcophago inclusa intra 40. dies, exceptis dentibus, absumi creduntur. Ex quo thesin format: *Dentes ignibus invictos cum reliquo corpore non cremari.* Possent quidem huic postulato verisimilitudinem conciliare duo hi dentes, vulcani tyrannidem elusisse visi; nisi reliquos omnes rogo planè absumptos & in hoc, & in quibusvis aliàs per nos detectis ossuariis semper desiderâssemus. Cùm enim 28. 30. pluresve non rarò dentes in ore humano numerentur, quorum tamen iis in ollulis inventus est nullus, docemur ex Gentilium hac urnarum inspectione, ipsis dentibus caduciorem esse sententiam, & albis certè dentibus explodendam, *dentes esse à vulcano invictos.* Animadversione quidem non indignum est, inter omnia mortuorum ossa diutissimè perennare dentes. In mumiis namq; Ægyptiacis earumq; maxillis post bis mille jam annos conditis nullam, cui dens defecerat aut cariem senserat, observare potuit Princeps Radzivilius memorante Helmontio. Est enim dentium petrosa indoles, ut inter lapides animales eos scitè reposuerit hic posterioris seculi Philosophorum Princeps. Verùm quod tanta iis insit durities, ut ignis spernant violentiam, ad unam omnes ferè refragantur urnæ mortuales, in quibus, si à rogo illæsi restitâssent, cum cœteris quoq; ossibus collecti ac repositi hodie reperirentur. Experientia porrò fatuorum æq; ac sapientum magistra

Comm. in Galen. l. de off. c.11.

l.36. Hist. nat. c.17.

Tr. alim. tart. in-sont. n.30.

magiſtra docet brutorum, agni, lupi, equi, caſtoris, imò & hominis dentes leviſſimo igne calcinari: quod quomodò neſcire potuerit Riolanus, vir in rerum naturalium ſcrutinio procul dubio non ignavus, fateor me non comprehendere. Faceſſant nunc, qui naſum Rhinocerotis habent, & ſupervacaneas ac inutiles urnarum ſcrutationes ſuperciliosè judicant. Aliud igitur, quod ex iis didici, nunc referam.

Fabulantur veteres Rabbini, (fæx ſanè hominum nugis ac mendaciis refertiſſima) exiſtere in humano corpore partem, in quam nil juris habeat ignis aliúſve elementi poteſtas. Hiſtoria eſt (cujus tamen fides ſit penes referentes) Adrianum Imperatorem aliquando interrogâſſe Rabbi Jeoſuah filium Chaninæ: *Unde Deus benedictus germinare faciet hominem in futuro ſeculo?* Reſpondiſſe hunc: *ex Lus, oſſiculo ſpinæ:* & cùm Adrianus ſciſcitaretur, unde id ſciret ac probaret? os illud in conſpectum attuliſſe, tutudiſſe molâ, ſed non contuſum eſſe, conjeciſſe in ignem, ſed non conflagrâſſe, projeciſſe in aquam, nec attritum aut emollitum, impoſuiſſe incudi, & ne hilum comminutum eſſe, nullumq; penitus in omnibus contraxiſſe defectum. Fabulæ de hoc oſſe pater, referente Bauhino, eſt Rabbi Uſchaja, qui circa annum æræ Chriſtianæ CCX. vivens compoſuit librum ſub titulo *Bereſchit Rabba*, id eſt, *Gloſſa magna in Pentateuchum*, ex quo Rabbini poſteri hoc figmentum hauſerunt. Crediderunt autem os illud non comburi aut corrumpi in perpetuum, eò quòd ejus radix ſit ex ſubſtantia cœleſti, & humectata rore, quo ceu fermento maſſæ farinaceæ Deus ſit mortuos aliquando reſuſcitaturus, adeoq; hoc eſſe humani corporis & extructi & reparandi fundamentum. Magna autem inter hos nugatores eſt controverſia, quale ſit illud *Lus* & ubi locatum in corpore oſſiculum. Mahometani juxta regionem oſſis ſacri illud collocant & *Al-Aibi* appellant. Laudatus Bauhinus tradit in ſpina dorſi ad os femoris poſt decimam octavam vertebram ab Hebræis locari. Münſterus vir fabulis credere admodum pronus in collo conſtituit. Veſalius anatomicorum ſui ævi coryphæus ad primum pollicis pedis articulum, quòd inſigniter durum ſit, ſpectare, & ab Arabibus *Albadaran* nominari refert. Unde & in dextro pede Pyrrhi pollicem intactum rogi flammis manſiſſe recenſet Plinius & Plutarchus. Hieronymus Magius ſcribit Thalmudiſtas hoc juxta calvariæ baſin, ſive in ipſa nucha eſſe commentos, & primam eſſe è duodecim vertebris thoracis, quæ, cùm caput collumq; inclinamus, maximè eminet atq; protuberat. Ita variant fabulæ authores.

Anatom. l.1.

Pokok. not. miſc. ad Port. Moſ. c.6. & 7.

l.5. c.1. p. 170.

l.7. c.2.

in Pyrrh. c.5.

Verùm hoſce omnes vel unica Friſonum aut Weſtphalorum Gentilis

tilis

tilis urnula refutaverit. Quantumcunq; enim lynceus funereas hasce capsulas excusseris, lustraveris, perquisiveris, prædictorum ossium nullum reperies: quod tamen, si omnem ignis violentiam & corruptionem vinceret, foret necesse. Si, quæ coram Adriano Imperatore fertur præstitisse Rabbi Jehoschuam, facta sint, nemo eum à magia aut saltem subtili imposturâ facilè liberaverit. Potuit prædictorum ossium aliquod nonnunquam casu à busto esse superstes, quemadmodum contigit dentibus istis Frisicis; nemo tamen nisi demens in illis aut etiam in his (ut olim quoq; creditum est memorante Tertulliano) corporis in resurrectione redintegrandi seminaria quæsiverit. Non opus est ex combusto aut putrefacto cadavere restare particulam, ex qua aliquando ad vitam homo resuscitetur, cùm in ipso pulvisculo æternitatis semina lateant. De quo Paulinus:

Lib. de Resurr.

Panegyr. Cels. V. 263.

Nam licet in tenuem redigantur & ossa favillam,
Corporis integri semina pulvis habet.

Casui fortuito duntaxat in acceptis est referendum, si pars à rogo intacta redeat. Quamvis dubio careat, Gentilium sæpe Popas, Magos & Necromantas, varia pro fascinando populo ludibria in ipsis cadaverum cremationibus exercuisse. Sic non pauca apud Scriptores prostant exempla eorum, quorum cor, absumptis rogo cæteris corporis partibus, absumi haud potuit: ceu idipsum de Cæsare Germanico refert Suetonius. Quod (tametsi ejus causas physicas nonnulli fingere sint conati) imposturæ potius vel Sathanicæ vel humanæ asscribendum judicaverim. Quid enim facilius, quàm in Ossilegio cor alterius animalis integrum reliquiis intrudere? Quòd verò Viraginis istius verè Christianæ, fortitudine plùs quàm Herculeâ celebris Joannæ (*Pucelle d'Orleans appellant*) ab Anglis hostibus maximo scelere rogo addictæ, inq; cineres redactæ cor ignis furias eluserit, gratia à cœlo est innocentiam Virginis hocce & ulteriori prodigio attestante. De quo merentur *Valeriani* Theologi Parisiensis versus inter alios hi recenseri:

In Calig. c. 1.

Kornman. *de mirac. mort. par. 3. c. 39. & Templ. Nat. Con. clus. 22. p. 69.*

Postremò enituit pietas in morte puellæ.
In cineres cunctos dum flamma resolveret artus,
Illæsas cor habet venas (mirabile dictu)
Nec sinceri animi temerant incendia sedem;
Albaq; tunc visa est igni prodire columba,
Et petere æthereos multis spectantibus orbes.

O splendidam consecrationem omni Gentilium apotheosi, verè stolidâ, augustiorem! quam non fictitius Jovis aut Junonis ales, sed innocentiæ Hieroglyphicum columba inter Divos certè relatam testabatur.

Redeo

Redeo ad Urnam, in qua ut & aliis per Weſtphaliæ hoſce tractus effoſſis cinerariis reperta oſſium fragmina indubitatam incerti hactenus problematis deciſionem faciunt. Controverſum eſt inter Scriptores, quæ fuerit veteribus Weſtphaliæ Friſiæ ac Drenthiæ incolis Gentilibus nativa corporis ſtatura & magnitudo. Doctor Joannes Picardus, Drenthiæ Annalium compilator, & in ea viciniſq; provinciis abditarum antiquitatum ruminator in eam totus propendet ſententiam, iſtorum locorum primores inquilinos reverà extitiſſe Gigantes: cui tamen meritò omnibus nervis refragatur *Eudoxus*. Argumentum illius opinioni contrarium magis convincens nullum opponi poſſe videtur, quàm ex ipſis his urnarum oſſibus dentibuſq; reſiduis deſumptum. Etenim cùm hæc naturalem moderni ævi humanorum oſſium dentiumq; magnitudinem haud excedant, indubitatò colligitur, antiquos Weſtphaliæ ac Friſiæ incolas paganos haud fuiſſe, ſaltem non omnes, ſtaturæ Giganteæ, aut etiam ſupra modum proceræ. Quippe juxta Geometrico-Anatomices regulas, ut ex ungue leo, ex exuviis lupus, ſic ex minimi oſſiculi magnitudine totius ſyſtematis oſſei, ex eoq; compacti corporis menſura naturalis haud difficulter arguitur. Quod cùm Picardus quà Medicus non revocârit ad memoriam, dicerem ſanè ipſummet vel paganorum Columbaria non viſitâſſe, vel nimiùm ſaltem fœcundioris phantaſiæ ideis indulſiſſe: id quod clariùs infra eluceſſet, quando de enormibus per Diœceſin Monaſterienſem hinc inde ſuſpenſis putatitiis Gigantum oſſibus conjecturas noſtras ſtabiliemus. *Cap.* 4. & 5.

Alius pariter error Picardi, ingentes Drenthiæ ac Weſtphaliæ ſepulcrales ſilices ſubq; iis abdita oſſuaria vel à Gigantum ævo repetentis, ex ipſis urnarum additamentis facilè confutatur. Hæc certè urnula haud obſcurè teſtabatur ſe ſuaſq; ſocias eſſe ævi poſterioris. Ferreis namq; aciculis transfixus pecten, ut & ex ferro fibula ſat evincebant jam eo tempore uſum metallorum mechanicum viguiſſe: qui tamen priùſquam Weſtphali cum jugo Romanorum tralatitiam ea variis manufactis applicandi ſcientiam ſuſcepiſſent, nullus ad haſce oras ſeculo planè barbaro extitit. Cùm, quæ ſimplicior ac rudior iis erat vitæ cultura, non indiguerint vel ſtanno pro candelabro, vel ferrò pro calcibus equi, vel cupro pro lebete, vel plumbo pro tectura domus, aut etiam argento pro monetis: hæc autem adjecta, pro iſtius ævi genio ſat curioſè fabricata, innuant ſe illius temporis eſſe producta, quo Gentilitas rudiorem barbariem jamtum magnam partem cenſeri poteſt exuiſſe.

Ex his itaq; paucis adnotatis, pluribuſq infra animadvertendis, in quorum notitiam nos urnæ Gentilium ferales deducunt, abundè elu-

cet, harum ſcrutinium non omni penitus fructu carere, ut fortè videri poſſet non nemini, qui nihil rectum putat, niſi ipſe fecerit. Debentur gratiæ *Eudoxo*, quod Urnas Weſtphalicas omnium primus ſi non runcinis (nàm caſu eas jam olim non raró detectas conſtat) ſaltem erudito calamo in lucem amplius protraxerit. Ita ut ſi magna laus à Republ. literaria conceſſa eſt *Wormiis*, *Bartholinis*, *Rudbeckiis*, quòd Urnas Gentilium funebres ſeptentrionales, *Chifletio*, quòd Veſontinas, *Craftoni Hiegellio* quòd Moguntinas, *Balduino* quòd Haynenſes, *Hartknochio* quòd Pruſſicas, *Mellenio* quòd Sarmaticas, *Rhodio* & *Majori* quòd Cymbricas, *Leibnizio* quòd Noribergenſes (ut innumeros alios taceam) eleganti calamo & ſtylo chalcographico delineatas curioſis communicârint, promerito quoq; encomio non ſit defraudanda *Eudoxi* diligentia Oſteophylacia Monaſterienſia iu Eruditorum conſpectum producentis.

CAPUT III.

Circa Oſſa & Cineres, eoq; ſpectantium conditionem varia ab *Eudoxo* mota dubia reſolvuntur.

Sect. 1. *c.* 3. §. 3. & 7. EUdoxi ſententia eſt, Sepulcrales veterum Ethnicorum Urnas, quas hodie circa hos Weſtphaliæ tractus effodimus tum integras, tum ob vetuſtatem eruimus fractas, deberi vel tantùm Romanis, qui iis loci, ubi nunc conſpiciuntur tumuli, olim aut locârunt exercitum, aut intulerunt cladem, ſtationéſve, caſtra, domiciliáve poſuêre; vel patriæ incolis, Romanæ politiæ normâ inſtitutis, ſeu etiam dominii eminentis poteſtate compulſis, ſive deniq pruriente in novitatem animo ad cadavera cremandi morem allicitis. Cùm igitur in iis oſſa etiamnum reſtare incorrupta oculis pateat, dubitari poſſet: quomodo tot ſeculis ea perdurâſſe ſit poſſibile, ut Gentilium aut Romanorum aut Weſtphalorum ante octingentos aut mille fortè annos crematorum reliquiæ poſſint cenſeri?

Dubio huic non difficulter ſatisfiet & oſſium penſitatâ naturâ, & conſideratis, in quibus tanto tempore latuêre, conditoriis. Inprimis certum eſt diutiſſimè durare oſſa: quod nec ipſe Joſephus Patriarcha videtur ignorâſſe, fratribus ſuis, dum in Ægypto moreretur, mandans: *Aſportate oſſa mea vobiſcum*, &c. Refert autem ſacra pagina, Iſraëlitas in Ægypto

Gen. c. 50. *v.* 24.

Ægypto post Josephi obitum ad quadringentos annos fuisse servos, & tamen ejus ossa adhuc incorrupta in terram Canaan secum abduxisse. Scilicet non levis erat ossium cultus apud Hebræos, nec minor patriæ & familiæ honor tanti Patriarchæ reliquias servare. Qui mos apud ipsos quoq; Gentiles obtinuit. Ossa quippe peregrè vel in bello mortuorum, ubi ea inveniendi fortuna contingeret, solenni congratulatione lecta deportabantur in patriam, & ipso quidem in sinu. Ita ferales Germanici reliquias Agrippina fæmina princeps sinu tulit memorante Tacito. *Lib.* 2. Quem quoq; morem innuit Martialis in mulieris maritum amantis non exiguum encomium:

Rettulit ossa sinu chari Nigrina mariti, *L.9.Epigr.*3.
Et questa est longas non satis esse vias.

Hinc illa apud Senecam admirandæ generositatis fæmina, dum virum charissimum in navigatione amisisset, & metum & luctum deponens caput suum maris periculis objecit, ut ossa mariti secum exportaret in patriam. Cui porrò ita favit cœlum, ut evictis tempestatibus corpus ejus naufraga evexerit. Quotaquæq; hodie est uxor, quæ idem suo præstaret marito? unde prædictus Philosophus exclamat: *O quàm multarum egregia opera in obscuro jacent! si huic illa simplex admirandis virtutibus contigisset antiquitas: quanto ingeniorum certamine celebraretur uxor, quæ oblita imbecillitatis, oblita etiam firmissimis metuendi maris, caput suum periculis pro sepultura objecit, & dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit?* *Consol.ad Helv.* 17. Præcellentium quoq; virorum ossa servari in patria, & huic & ipsi quoq; defuncto honori erat apud Gentiles. Ita cùm Africanus post victum Hannibalem, subactam in Carthagine Africam, & restitutam Remp. tandem ignobilis vici & desertæ paludis accola supremum humanæ conditionis honorem, *Cremationem*, sibi defuturam prospiceret, Sepulcro inscribi voluit: *Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.*

Durabilitatis porrò ossium non obscura est ratio. Guilandinus apud Prosperum non inconcinnam adfert, *Lib.* 1. *de Medic. Ægypt.* quando ait facillimè putrescere actu & potestate humida, ut est sanguis, difficulter verò sicca quæ sunt potestate & humida actu, ut bilis, minimè verò omnium putrescere actu & potestate sicca uti ossa. Summa ossibus siccitas igne inducta non admittit putredinem, quòd nesciat humiditatem. Ea est in ossibus crematis incorruptibilitas, ut quidam luminis perpetui ex iis construendi conceptus sibi finxerint. Narrat R. P. Casparus Scottus S. J. *Mag. pyrotechn. part.* 4. *l.* 2. *c.6.* §. 1. *annot.*3. ad se venisse Virum doctum & in rebus Chymicis apprimè versatum, qui olei inconsumptibilis pro lampade perpetua conficiendi methodum pro-

promiserit, & quidem ex carbonibus combustisve ossibus. *Ponatur*, inquit, *carbo ordinarius aut os combustum in vase clauso, extracto aëre in ignem, spacio* 10000. *annorum nunquam alterabuntur.* Talia persuadebat iste artifex, talia credebat ipse Scottus. Quæ si haud implicent, quid mirum ossa cineresq; paganorum adjectosq; carbones mille & quod excedit annis in urnis perstitisse incorruptos? Neq; etiam carbones & cineres sine ratione ossibus patet apposita, cùm hæc conservandi vim obtineant. Ossa rogo exempta vino, lacte, lacrymis rigabantur, & odoribus aspergebantur à Romanis, fortassis ut adhærentes quisquiliæ sic eluerentur, & ad meliorem durationem disponerentur. Ita familiæ Asclepiadeæ decus *Georgius Baglivus* in Archilyceo Rom. celebris anatomices Professor non intermisit referre ceu prorsus singulare, adhuc nuper in Via Appia intra urbis mœnia propè portam Capenam in Vinea familiæ Moronæ detectum esse amplum & satis nobile sepulcretum familiæ Passienæ olim in urbe celeberrimæ, & effossas ibidem plurimas ac ferè centenas inscriptiones elegantissimas, nec ante visas, cum cubiculis subterraneis affabrè depictis & columbariis, *ubi repositi suis urnis sunt cineres combustorum ossium ejusdem gentis.*

In Diss. varii Argum. ad Hott.

Considerationem quoq; merentur ipsa urnarum loculamenta, quæ locis nonnisi siccis & arenosis constituta hodie reperiuntur: sicuti sub mole silicea sepulcrali in agro Heidensi urnas arenaceo quasi cubiculo conclusas offendimus. Quod quidem sabulum studio circumjectum fuisse soli circumfusi conditio satis docebat. Christophorus Adolphus Balduinus Academiæ Eruditorum Leopoldinæ quondam Hermes, vir sine pari curiosus, notat locum, ubi urnæ conditæ se aperuerunt, planè fuisse arenosum, latitudine duorum triumve, longitudine viginti octo omnino passuum. Ita ut ejusmodi loca nisi artificio facta, curâ tamen singulari fuerint exquisita & destinata sepulcretis. Plurimum enim ad urnarum servandam firmitatem loculorum contribuit siccitas. Unde vice arenæ carbonibus piceis comminutis solicitè circumvallatas ollas in principatu Anhaltensi reperit Olearius. Quod fortassis quoq; contigisse potuit in insigni olla, cujus fragmento nigra elegans macula adhuc impressa spectatur in Musæo *Eudoxi*. Observare namq; licet ex circumjecta vel gleba vel arenis molliores urnas contrahere varias colorum tincturas & macularum suscipere vestigia, nunc rubra, nunc flava, quod in Westphalicis nostris patuit, & in urnis quoq; Cimbricis annotavit Rhodius. Arenæ autem inesse vim conservandi, & illæ apud Indos cadaverum in arena exsiccationes docent, & vel ex eo novimus, quòd, qui funera pomposa hodie meditantur, & ut ad luctum

Eph. Ger. Cur. Dec. 1. *ann.* 4. *&* 5. *in app.*

Mausol. in Mus.

conf. *Sep. W. G. c.* 5. §. 5. *p.* 36.

Act. mar. Balth. an. 1699. *p.* 370.

luctum & luxum omnia concinnentur (quod non rarò in ſeptimanas ſepulturam differt) ſoleant loculum cum cadavere, præſertim ubi diutius æſtate aſſervandum eſt, in hypogæis arenâ planè obruere, ac dein ſtatutâ die erutum tumulo deſtinare, & ita quaſi ſecundò ſepelire. O vanas hominum cogitationes, quærere occaſionem tumoris in tumulo, qui eum maximè ad terram deprimere ac contumulare deberet! Meritò *Eudoxus* in ritibus funerum parallelis ſepulturæ pompis poſuit aſteriſcum. Romanus Stoicorum Princeps adverſùs eas more ſuo inſigne acumen exſerit. *Quidam verò diſponunt etiam illa, quæ ultra vitam ſunt, moles magnas ſepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera & ambitioſas exſequias. At me Hercule iſtorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces & cereos ducenda ſunt.* Sic eos pueris æquiparat: notum quippe horum funera, ob mortem immaturam acerba dicta, moris fuiſſe ad faces & cereos noctu efferre.

L.d.brev. vit. c. 20.

Silentio hìc demum præteriri non debet, uſtulata oſſa per ignem poroſa reddita aliquando ſuccum terreſtrem petrificum imbibere, ſicq; lapidis induere naturam. Oſſa talia petrefacta è Gentilium ſcopeliſmis à gazarum indagatoribus theſauri loco eruta in Dania ipſe oculis non ſemel uſurpavi. Petrefactio hæc non difficilis eſt in locis ſabuloſis, ubi fortiùs odor ſpirat ſaxatilis, atq; proin & in aquis petrificis & locis petræ fermento fœtis obvia. De quo memoratu dignum exemplum refertur ab Helmontio his verbis: *Circa annum* 1320. *intra Ruſſiam & Tartariam in altitudine graduum* 64. *non procul à palude Kitaya Horda Baſchirdorum penitus in petras tranſmutata legitur, cum toto armento curribus & armamento. Dicunturq; etiamnum hodie homines, cameli, equi, greges, atq; omne concomitans curruum & armamentorum genus ſub Dio concretum horrendo ſpectaculo adhuc inſaxata ſtare.* Cujus cauſam fuſiùs deductam ibidem curioſi invenient. Weſtphalico quidem in aëre nunquam ſpiravit Gas tale Gorgonicum, neq; oſſa petrefacta facilè inveniuntur. Hoc tamen portentum mihi ad memoriam revocat hìc opportunè referendum: quod non ita pridem ex Viri fide digniſſimi relatione accepimus; nempe in Diœceſeos hujuſce tractu Hunnelingico alicubi ſpectari ſaxorum ſtaturæ humanæ magnitudine, & quaſi formâ rudiori erectorum aliquot ſeries, ut bina & bina quaſi funus ſequentium & ad ſepulcreta tendentium paria non ſine ſpectantium admiratione repræſententur: quod tamen hactenus à quopiam literis non legimus conſignatum, neq; quid lapidum ſtatuæ ita ſeriatim poſitæ deſignent, indicatum. Unde & meum

Tr. de Lith. c. 1. §. 17.

ju-

judicium malo suspendere, quàm incerti quidpiam definire. Nemo tamen sanæ mentis dixerit, etiam olim in Westphalia extitisse Gorgones, quæ homines in saxa converterint.

Sep.W.G. Sect. 2. c. 4. Succedit dubium aliud planè obscurum ac intricatum, quod nihilominus solvere & enodare conatus est *Eudoxus*. Indagat nempe, qui sint silicum Westphaliæ sepulcralium portentosorum authores, num populi patriæ indigenæ num advenæ? ubi tandem pro Hunnis & Frisonibus probabiliter concludit. Ego difficillimum & incertissimum statuo hìc aliquid certi decidere. Quid enim stabile concludes de gente maximè omnium instabili, qualis erat primæva Westphalica, in varios populos distributâ, quibus erat nunquam uno eodemq; loco perpetua sedes, sed qui instar muscarum aut avium pabula quærentium hæc illáve loca gregatim sectabantur. Turma una fagabat aliam, & hæc rursum ab alia in fugam compulsa migrabat, instar Cingarorum hodie orbem pervagantium, quibus ubiq; aut potius nullibi domus est & patria. Eleganter illorum statum depingit illud Strabonis: *Commune autem est omnibus qui hunc tractum incolunt, ut aliò facilè migrent, & propter victûs tenuitatem, & propter agrorum ignaviam colendorum, & propter inopiam pecuniarum, cumq; in tuguriis habitant, in diem habent supellectilem, plurimumq; è pecoribus trahunt alimoniam, sicut & Nomades, eorumq; instar domestica in carris tollentes instrumenta, quocunq; sors tulit & opinio, suis cum armentis convertuntur.* Seneca testis est nulla illis domicilia nullas sedes fuisse, nisi quas lassitudo in diem posuit. Quis ergo vago populo certas assignabit stationes, & illi qui certam in vita non habebat, fixam à morte sedem tribuet? neq; verò etiam, an scopelismi hi sive silices ex Romanorum sint monumentis, argumenta suppetunt, quæ id indubitatò aut statuminent aut refellant, tametsi horum memoria in terra Westphalica adhucdum satis floreat. *Sanè*, ut ait Divus Augustinus, *de corporibus eorum multarum terrarum flores videmus, sed sicut solet dici flos cinis.* Cineraria quidem sub plurimis colliculis & aggeribus recondita ad illos pertinere minimè ambigimus. Si verò Burrhi ac Borelli fundata foret Experientia superiùs jactata, universam Proavorum seriem umbratili scenâ ex cadaverum pulvere posse repræsentari, jam quoq; cineres ex ossuariis Heidensibus & Amsyburanis sic ad conspectum vocati obscurissimum dubium, an illis etiam silicum istæ strues debeantur, facilè possent tollere. Verùm probationis hanc methodum fortè nimis curiosam aliis relinquimus, interim non dubitantes, in regno vegetabili è plantis quibuslibet incineratis pristinas for-

L. adversus Petil. c. 40.

mas


mas & iconiſmos peculiari chymiæ enchiriſi reſuſcitari & reduci ad obtutum, fidem faciente ſolertiſſimorum Virorum *Magneni*, *Tackii*, *Schotti*, *Kircheri* aliorumq; plurium repetitâ experientiâ. A qua num ad humanos cineres valeat analogia, & experimenti reſpondeat ſucceſſus, hujus loci non eſt pluribus indagare. Nos in denſis illis antiquitatis tenebris, ubi hariolari promptum, ſcire difficile, fidem noſtram non interponemus, credere tamen cum *Eudoxo* proniores, tumulorum hoſce ſilices non eſſe Romulidum, ſed fortè Friſonum aut Hunnorum Weſtphaliæ aliquando indigenarum.

Aliud nunc *Eudoxi* dubium poſcit deciſionem, quo nempe molimine, aut machinâ cremanda corpora (etiam lecto aut ſandapilæ impoſita) in excelſioris pyræ ſummitatem fuerint elevata: magnorum namq; & clarorum virorum ſublimes ac ſuperbi erigebantur rogi. Rerum funebrium Scriptores hìc paſſim ſuam fatentur ignorantiam, aut varia ſaltem adferunt ingenii commenta, quibus & meas conjecturas addere licebit. Enim verò negotium haud facile eſt indicare modum, quo cadaverum combuſtorum favillæ à reliquo lignorum & concrematorum (equorum ſæpe, armorum, variæq; ſupellectilis) cinere potuerint diſcerni. Regum quidem & Magnatum corpora funebribus tunicis ex asbeſto incombuſtibili involuta, ſicq; eorum cinerem à reliquo facilè ſeparatum fuiſſe ex Plinii aliorumq; antiquiorum ſcriptis innoteſcit: ſed telæ hujus asbeſtinæ major eſt raritas, quàm quòd omnibus paſſim, & vulgaribus quidem buſtis ſervierit. Treverus rogi foveam, in qua cadaver erectum ſtaret, aut ciſtam lapideam, in qua contineretur, neſcio an acutè magis quàm verè commentus eſt. Iſacus Caſaubonus ſentit cadaver ita in pyra fuiſſe locatum, ut cineres & oſſa reſtiterint ſeparata, ex eorumq; ſitu potuerint diſcerni: cujus tamen methodum alto premit ſilentio. Quam quidem ſuggerere videntur hæc Pancirolli verba: ***Inter alias vanitates & ineptias concavam & quadratam lignorum ſtruem erigebant, ſingulis lateribus portâ additâ, per quam defuncti cadaver conſpiciebatur.*** Formanda itàq; mihi eſt pyræ idea longè diverſa à typis, quos Picardus aliiq; paſſim depinxêre. Si enim, quod illorum poſtulatum eſt, rogi apici cadaver aliaq; conflagratura fuerint impoſita, neceſſe fuiſſet explicare, quâ ratione illius inter cremandum ſidente torrium ſtrue devoluti & proruentis cineres cum ardentium lignorum favillis confuſi diſtingui ac ſegregari potuerint. Tres igitur mihi imaginor in conſtructione pyræ ſervatos ordines; quorum primum tenebat, in Latio quidem cupreſſorum, lauri, myrti, &c. in Germania autem, & fortè etiam Weſtphalia, pini, abietis, betulæ, a-

Sep.W.G. Sect. 1. *c.* 4. §. 7.

 liorúmve

liorúmve lignorum mephyti abigendæ idoneorum ſtrues, quæ immediatè circumdabat uſtrinam. Secundum occupabat rogus, formâ quadratâ, rotundâ, aliáve ex vario lignorum genere ſtructus, & diſtantiâ quâdam remotus à cadavere, cui locus erat tertius, non in ipſa lignorum ſummitate ſed meditullio, in quo à flammæ undiquaq; ambientis rapidiſſimo æſtu in cineres haud longo tempore redigebatur. Methodum oculis ingerit ſequens Schema :



Per aperturam *a b c* intromittebatur cadaver, & in interiori area aut nudo ſolo aut ſtragulis impoſitum (foramine pyræ lignis pariter præcluſo) cremabatur : quâ quidem ratione oſſa & cineres ſeparatim ſervari & legi potuiſſe ad oculum patet. Quid enim inconvenientius nedum difficilius poſſet concipi, quàm equos, canes, aliaq; animalia quandoq; ſimul comburenda in rogi faſtigium fuiſſe educta, cui nullæ quidem vectes aut trochleæ ſuffeciſſent ? & hæc mea duntaxat conjectura eſt, pace tamen Eruditiſſimi *Eudoxi*, & ſalvis aliorum ſententiis. Addo hanc ipſam cremandi rationem ex Romanorum Gentilium numis apotheoſi ſacris videri ſatis comprobatam, quibus inſculpta pegmata oſtia luculenter oſtendunt aperta, equorum verò, lectorum, curruumq; in ſummo culmine poſitorum imagines ſolennitatis ritus denotant, indicantq; quâ pompâ cadaver rogo fuerit immiſſum.

l. c. §. 7. Tandem *Eudoxus* meminit apud Gentiles ſolenne fuiſſe, denis virorum cadaveribus muliebre adjicere, quòd, referente Macrobio, ſibi perſuaſum haberent, *Unius adjutu quaſi naturâ flammei cœtera virorum corpora rapidiori foco abſumi.* Cujus quidem facti rationem Phyſicæ addictis ponderandam remittit. Brevis itaq; epicriſis erit addenda. Verum eſt antiquitus, ſi quando plura cadavera (quod in bellis aut peſte fiebat) ſimul comburenda eſſent, eum morem viguiſſe. Cauſam *l. 7. ſaturnal. c. 7.* præfatus Macrobius Plutarchum ſecutus rejicit in calorem. *Quis ergo* inquit *dicat frigidas* mulieres, *quas nemo poteſt negare plenas caloris, quia ſanguine plenæ ſunt ?* ridicula ſanè ratio ; quaſi viri calore

lore & ſanguine deſtituerentur, & illæ præ his promptius pabulum igni præberent. Reſpondet Artemidorus: *Nihil corpora magis calefacit quàm ignis & mulier.* Moraliter hanc, illum phyſicè crediderim u-rere. *Ita nec veteribus calor mulierum erat incognitus*, addit Macrobius. Sed hunc in cadavere fœmineo ſuperſtitem credat Judæus apella. Sapientiùs certè paulò Symmachus: *Quod*, inquit, *muliebre corpus juvabat ardentes viros, non caloris erat, ſed pinguis carnis & oleo ſimilioris.* Verùm quis in unius mulieris cadavere plus ſupponet pinguedinis quàm in decem virorum corporibus? fortaſſis decem maſculorum buſtis totidem quaſi elychniis unica mulier præſtitit oleum, ut gratius eſſet Diis manibus ſacrificium? non crediderim herculè barbaros iſtos fuiſſe tam acutos phyſicos, ſed hunc ritum ſaltem paganicum & vanam obſervantiam, ut decemviratus iſte in moroſo ad agros Elyſios itinere (facundus namq; comes pro vehiculo eſt) ſociam haberet mulierem. Etiam uxores vivæ maritis ſuis in rogo voluêre eſſe ſociæ, ut in cymba charontis eſſent comites. Ex his, ſi fortè nulla ſit, quæ arrideat, ratio, ad ſacram ignorantiæ anchoram hìc lubens ſiſto. *l. c.*

CAPUT IV.

Erroneis circa urnas ſepulcrales & oſſa ſententiis ab *Eudoxo* refutatis aliæ adjiciuntur.

VAriorum circa Gentilium urnas opiniones erroneas recitavit ac refutavit *Eudoxus*. Quibus unam alterámve ab eodem non animadverſam operæ pretium erit hìc adjicere. Sunt qui hinc inde ſub humo obvia terrea vaſcula, non artis ſed ipſiusmet naturæ plaſticæ producta autument. Cujus erroneæ ſententiæ ſanè miror patronos eſſe Viros perſpicaciſſimos. In horum claſſem referendus eſt Bohuslaus Balbinus S. J. qui in Miſcellaneis Hiſtoricis Regni Bohemiæ hæc refert: *Mirum eſt & verè naturæ arcanum, quod circa Cunaci montem (Kunelicka Hora vulgus adpellat) non procul à loco, ubi quondam ditiſſimum totius Bohemiæ Cœnobium Ordinis S. Benedicti ſteterat, reperitur. Ollas paſtorculi ac pueri ludentes ſæpe effodiunt tali opificio perfectas ex argilla, ut nihil in illis omnino, niſi lituram illam* (Glätte) *quâ ollas perfundere ſolent, deſiderare poſſis. Ollas ejuſmodi extractas & ſole ſiccatas ruſticæ per ea loca adhibent coquendis rebus omnibus, præbentq; uſum commodiſ-*

Sect. 2. c. 3. per totum.

Decad. I. l. I. c. 49. fol. 115. a.

ſimum in culinis. Ejuſmodi quoq; ollas in majore Polonia reperire auctor eſt Miechovius l. 1. Hiſtor. Polonic. c. 3. exiſtimo argillam ejus generis (quæ Gil nobis dicitur) ad figuram ollarum ſponte ſeſe ac libenter componere; naturâ ipſâ, quid fieri velit, docente. Conſentit hiſce Dlugoſſii verum Polonicarum Scriptoris relatio, his verbis concepta: *In campis villæ Nochovv prope oppidum Srzem in Poſnanienſi Diœceſi, item in villa Kozielsko in diſtrictu Paluki propè oppidum Lekno, univerſi generis ſponte, & ſolâ arte naturæ absq; omni humano adminiculo variarum formarum & iis ſimiles, quas humanus convictus habet in uſu, ſub terra naſcuntur ollæ, teneræ quidem & molles, dum conſiſtunt in nativo nido ſub gleba, ſed, dum fuerint extractæ & vento aut ſole duratæ, ſatis firmæ, diverſis formis & quantitatibus compoſitæ, non ſecus quàm artificio figuli effigiatæ, &c.*

Tom. rer. Polonic. p. m. 43.

Nunquid Weſtphali as Ethnicorum ollas, & in gleba & ſub arenis repertas, & ſub terra molles, & ſole duratas, & variâ quoq; magnitudine figuratas adamuſſim deſcriptionibus hiſce adumbratas ſpectamus? an proin quis ita poſſet hallucinari, ut & has à natura figulâ productas cenſeat? Quî ergo ſolertiſſimi iſti Viri in illam potuêre devenire ſententiam? crediderim huic anſam dediſſe opinionem quorundam, qui quæcunq; ſub tellure offendunt corpora mollia & digitis facilè friabilia, judicant eſſe terrigena, mollitiem iſtam infallibile novæ in terra geneſeos argumentum ſtatuentes. Verùm quantum hoc univerſaliter claudicet, docent ſatis iſta ab *Eudoxo*, quemadmodum & ab aliis diverſim alibi, effoſſa mortuorum fictilia, plerumq; ſemper mollia ex ſucco ſubtus horizontem imbibito, inſolatione tamen rurſum indureſcentia. Novi mirabilem naturæ mechaniſmum, ſed figulam eſſe meritò liceat dubitare. Vim ollarum ſeminalem terræ innatam credat qui volet: meum vix extorquebit aſſenſum. Et cui uſui iſtæ ollæ ſubterraneæ? hìc ſanè natura fruſtra ageret: niſi cum Balbino dicere velimus, naturam eas ruſticis focis ad cibos coquendos deſtinare. Probabilius eſt, ollas quandoq crudas, nec igne excoctas pro oſſuariis fuiſſe uſurpatas, ideoq; ne humectatione ſubterraneâ facilè deficerent, eo ſtudio à Gentilibus fuiſſe in arenis conditas & aſſervatas, ceu in columbario Heidenſi nos quoq; obſervâſſe ſupra meminimus. Ita ut, quod putat obſtare Balbinus quò minùs urnæ ſint ferales, quia nempe in argilla media effodiantur, id ipſum potiſſimam præbeat conjecturam, eas eſſe mortuales.

Scheucz. in Ep. ad Sturm. de generat. Conchit.

Videtur tamen huic planè contrarium illud, quod refert Hagendor-

dornius Archiater Saxoniæ nuper experientiſſimus, nempe in Diſtrictûs Spremberg enſis Luſatiæ inferioris argillifodinis erutas fuiſſe ollulas quaſdam mirandæ parvitatis, ſtupendæ autem conformationis; quaſi ab artifice factæ fodinis iſtis eſſent commiſſæ, in horum autem cavitate deprehenſa fuiſſe peregrini generis ſemina, quorum notitiam nemo habuit, licet plurium examini fuerint exhibita. Et haſce *ollulas* appellat *nativas*. De quibus ſubnectit hanc epicriſin: *Quæ res an naturam pro parente agnoſcat ſolam, an artem habuerit auxiliatricem, difficile eſt determinatu: credo tamen naturæ in ejuſmodi fabricandis ollulis poſſibilitatem non eſſe detrahendam. Memini enim me nuces ignoti generis aliquando ex profundiſſimis argillæ fodinis erutas vidiſſe, ſolius naturæ ſoboles.* Ita Hagendornius. *Eph. G.C. Dec. 1. an. 3. obſ. 137. p. 247.*

Verùm ignoſcant Viri literatiſſimi manes, ſi has quoq; ollulas licet minimas, repertas in argillæ fodinis Gentilium funerationibus inſerviiſſe credamus. Sciendum namq; apud hos moris non raro fuiſſe (id quod à Trevero in urnis Marchicis, à Stieffio in Sileſiacis, de quibus ſermo Hagendornii eſt, obſervatum fuit) quod mortualis olla oſſa & cineres claudens in meditullio poneretur, quam in modum circuli aut duarum linearum plures urnulæ minores ambirent, ſitum plerumq; talem ex obſervatione prædicti Stieffii obtinentes:





Quæ quidem vaſcula minora non oſſuaria erant, ſed varii generis cæremoniis, ſacrificiis, vino ac balſamis pro cinere rigando (de ritibus Romanis loquor, non de Weſtphalicis) ut & lacrymis excipiendis deſtinata, & unà cum olla majori cinerea ad conditorium reponebantur. Unde non adeò mirum eſt, in iis quoq; ſemina noſtro ævo incognita, utpote tot ſeculorum vetuſtate vel obſoleta, vel immutata, eſſe deprehenſa. Quibus adjectis quid vetat credere, voluiſſe indicare politiores Gentiles, quibus de animæ immortalitate non parca erat ſuſpicatio, iſtis oſſibus ac cineribus non ſecus ac ſeminibus ad novam reſuſcitationem ſpem ineſſe. Quæ conjectura ſi minùs veroſimilis videatur, certè ea ſuperſtitionis paganicæ eſſe reliquias indubitatò erit ſtatuendum. Epicriſis itaq; mea hæc eſt: licet natura polimorpha ſit & protoplaſtes admirabilis, probabilius tamen eſt iſtas ollulas eſſe artis opellas. Munſterus has quidem, ut & Schwenkfeldius, Olorinus, Mattheſius aliiq; plures ſoli naturæ attribuunt & germanicâ interpretatione Erd-Töpffe no-

nominant, ſicuti & apud Marchicos Johannes-Töpfflein appellantur, eò quòd Majo tantùm menſe ſub feriis Pentecoſtes aut in D. Joannis Baptiſtæ vigilia reperiri, aut ab ipſa natura fabricari credantur. Hoc tamen ceu ſuperſtitionem redolens refutari haud meretur.

Stieff. Ep. de Urnis Lignic. & Pilgrams-dorff.

Alius ſe ſiſtit error, cui antiquitatis ignorantia mater eſt, nunc in medium quoq; producendus, qui qualis ſit ſequens docebit gentilis Sepulcreti elegans deſcriptio; quam accuratiſſimè tradit Samuel Ledelius Medicus Grünbergenſis inferioris Sileſiæ eruditiſſimus, cujus ipſamet verba, eò quod Sepulcreto Heidenſis diſtrictûs per omnia ſit ſimile, hìc adſcribere haud pigebit. *In finibus Neonetkovienſibus uno milliari à Grunberga varii conſpiciuntur colles, in quorum meditullio plura latuerunt vaſa fictilia diverſæ magnitudinis, variæ formæ. Matruelis meus D. Reiche lapides ad cellam ædificandam quærebat hinc inde, & fortè fortuna hos dislocabat aggeres & hæcce vaſa offendebat. Rem ut ipſe viderem adſtiti, manum admovi, & vaſa erui. Inerant in medietate monticulorum horum plurima vaſa, primùm mercenariorum runcinis contuſa, dein ob raritatem leniùs tractata & variis amicis transmiſſa. Quamprimùm extrahebantur, humida aliquantulum, mollia & fermè friabilia erant, ſed ab aëre ambiente ſtatim evadebant duriora. Sepoſitâ & remotâ arenâ inveniebamus ſaxa grandiora ordine circulari veluti poſita & in medio ollam capacem, quæ erat referta oſſibus comminutis & friabilibus. Qualia autem fuerint, diligentiſſima & curioſiſſima non poterat explicare examinatio. Olla oſſibus repleta erat tecta operculo. Magnitudine etiam & capacitate differebant vaſa; quædam erant vacua, ſed pleraq; erant oſſibus repleta, aut cinerem cum arena continebant. Studio hæc ita fuiſſe diſpoſita conjectu facile. Inquiſivi diligentiſſimè in vicinis locis, & quantum reſcire potui à decrepitis ruſticis, putabant, & quod audierint affirmabant, ante ſeculum & quod excurrit hìc loci fuiſſe habitaculum prædonum. Quouſq; autem huic relationi fidendum non determino, interim de veritate dubito.* Ita ille. Juſtum ſanè Viri literatiſſimi dubium, & ſtolida Ruſticorum iſta putatio. Ex quo liquet, quantum ad rerum plurimarum cognitionem faciat antiquitatis notitia, quæ, ſi quem aliàs, medicum præſertim cohoneſtat, ne in ferenda de rebus ignotis ſententia ſe orbi erudito deridendum exponat.

Eph. G.C. Dec. 2. an. 2. obſ. 36. p. 66.

Excutiendus jam reſtat error plurium mentibus, qui ſuſpenſa hinc inde per Weſtphaliam & hanc etiam Diœceſin Monaſterienſem inuſi-

tatæ

tatæ magnitudinis ossa, & præsertim ingentia illa, quæ in Arce Benthemensi spectantur, pro Gigantæis habent, ut ex iis conclusisse videatur Picardus, revera ejusmodi portentosæ staturæ homines, his olim in oris vixisse, & ingentes istos silices suis imposuisse sepulcris. Certè nullibi enormiores texuntur fabulæ, quàm ubi de Gigantibus est narratio, quasi de magnis non nisi magna oporteret fingere mendacia. Exemplo radiabit veritas. Sollicito lectoris patientiam, ut priusquam, quid de his statuendum sit ossibus, indicavero, brevibus ea referam, quæ de Gigante Og Rege in Basan fingunt Thalmudistæ.

Regem Og eximiæ fuisse staturæ fidem facit Sacer Codex, qui lectum ejus ferreum & novem cubitorum fuisse memorat, & quod hunc inter & Israëlitas fuit, certamen recenset. Audite nunc de hoc recutitorum figmenta. In Voluminis Thalmudici libro, quem vocant *Perochos cap.* 3. narrant, hunc Regem portâsse capite ingentis molis lapidem, cujus unico jactu voluerit Israëlitarum castra tribus à se milliaribus dissita funditus delere, venisse autem formicam, & derepente rostro suo medium perforasse lapidem, ut in cervicem Regis Basan fuerit prolapsus; voluisse equidem hunc omni conatu illum excutere, utrimq; verò ex ore mox crevisse dentes ita protensos, ut molem collo non potuerit excutere. Certamen, quod inter eum & Moysem fuit, non minùs grandi parecphasi describunt. Moysi inquiunt fuisse staturam 10. cubitorum, eum proin securi paris longitudinis acceptâ in Regem Basan insiliisse assultu decem cubitorum in aërem elato, & tamen Regis Basani genu duntaxat feriisse. Prô quàm Gigantæa mendacia! verùm en majora. Ejusdem voluminis libro, quem appellant *Miba c.* 2. refert Abosool se aliquando in tibiam hominis mortui irrepsisse, & per integra tria milliaria in eo decurrisse, non potuisse tamen exitum reperire, *Et hoc*, inquit, *os tibiæ est Og ex Basan Regis Amonitarum.* Prior Nugator longitudinem dederat tibiæ 20 cubitorum, nam Moyses 10. cubitorum, securi quoq; tantæ longitudinis illius genu duntaxat tetigerat, hic verò quotquot vixerunt bipedum mendacissimus eam ultra tria milliaria extendit, sub qua mensura totum corpus ad novem milliaria ad minimum se extendere, & nubes vertice tangere debuisset. Et tamen talia pro verissimis venditant Thalmudistæ, preces namq; addunt pro gratiarum actione recitandas Judæis, quotiescunq; hunc lapidem Regis Og offendunt (in utopia credo) eò quòd Israëlitarum populus tam eximio miraculo à tam immani hoste fuerit liberatus.

Deut. c. 3.

Verùm facessant fabulæ. Videamus saltem, ne tacitè in parem incidamus paralogismum. Si enim ossa ista Benthemica Gigantis crediderimus,

rimus, eum Antæi fratrem, quem 80. cubitis ordinariam hominum staturam excessisse fabulantur, haud obscurè faciemus. Enim verò si ex lege osteologiæ tanta est magnitudo corporis, quanta in proportione est ossis, ut si hoc ordinariam magnitudinem quinquies excesserit, idem de integro corpore sit statuendum, facilis deductio est, quanta in magnitudine hujus cyclopis futura sit hyperbole. Certè hanc cum Seneca, qui negavit Gigantes, *repones inter ea, quæ falsâ cogitatione formatâ habent aliquam imaginem, quamvis non habeant substantiam.* Fortassis nonnemo Cartesii de grege, subtilior dicam an grossior, utpote extra subtilitatis sphæram mirum quantum hìc excedens, immanitati talis corporis facilè subscribet. Talis namq; (cùm Philosophiæ fundamentum in dubitatione statuat, & de omnibus nullâ re exceptâ velit dubitari, ut vitentur errores & ad veritatem perveniatur, supponens à sensu & ratione nos sæpè fallli, nec constare, an non tales nos Deus creaverit, ut semper fallamur) portentosos conceptus & immane dubium de moderna corporis humani visibili statura format: nempe an non hodiedum omnes adhuc simus Gigantes, quales Patres antediluvianos & ipsum quóq; Protoparentem fuisse nonnulli existimant. Quod postulatum verè Gigantæum anticartelianus pari argumento ad hominem facilè explodet. Eâdem enim sub hypothesi, nec minori cum fundamento nunquid dubitare liceat, cùm & olim pumiliones, nani, hominesq; vix bipedes extitisse credantur, an non potiùs oculi nostri eo fascino hodie involvantur, ut à genio fortè quodam decepti, nos omnes, quotquot sumus, non videamus esse pygmæos? quali tamen sub specie antiquioribus illis Gigantum monstris modernæ staturæ homines constat apparuisse. Verùm mittamus ludicra, ne ex musca lybicos formemus elephantes, aut pro veritate umbram amplectamur.

Epist. 58.

Referenda itaq; nunc erit brevibus una alteráve de portentosis hujusmodi ossibus sententia. Thomas Bartholinus Olympi literarii illustre sidus paradoxum sanè in re dubia cudit postulatum, statuens illa quidem non esse Gigantum, sed hominum vulgaris staturæ defunctorum ossa, quæ terræ intumulata in monstrosam illam excreverint vastitatem. Sed sodes quis modum explicaverit, quo ossibus jam in corpore vivo destinatum magnitudinis terminum assecutis vis illa nutrix, & quo ex alimento resuscitetur? Daniel Geyerus aliiq; plurimi illa pro minerali potiùs quàm animali concreto volunt esse habenda, neq; esse quid aliud, quàm terram bituminoso-tophaceam solius naturæ lusu ita elaboratam: utpote quæ nunquam otiosa sæpe rudi, sæpe vix imi-

Cent. 4. *obs.* 94.

tabili

tabili ſcalpro & plaſtico torno hominis aut aliorum animalium corpus aut partes effingere comperiatur: unde peculiare illud lapidum ſub terra inventorum & oſſa, coſtas, pedes, tibiasq; exhibentiumgenus apud Metallurgos *Enoſtorum* titulum accepit. Ita in tophacei lapidis ſubſtantia os denti elephantis æmulum 300. circiter pendens libras, & 18. palmis longum in lapicidina Romana Anno 1698. inventum fuiſſe memorat famigeratiſſimus Baglivus: quod quidem penè ad albedinem calcinatum magnarum in morbis malignis virium pro diaphoreſi fuerit compertum. Sic quoq;, ut adhuc unico hoc declarem exemplo, refert illuſtris Sachſius à Lewenheimb ſibi ex ſuperiore Sileſia os femoris quaſi Giganteum è terra effoſſum eſſe transmiſſum, quod in ſuprema & infima parte oſſis femoris capita eleganter æmularetur non minùs, quàm ſpacia iſta paululum in medio excavata, quæ in naturalibus femorum oſſibus propter muſculorum ſitum natura ſolet efformare. Ut igitur miranda ejuſmodi conformatio non probat oſſa hæc eſſe humana, ſic nec eorum immanis magnitudo evincit eſſe Gigantum. Similia namq; non ſunt eadem. Famoſa *Specus Baumanni* adhuc hodiedum lapides partibus humanis exactè æmulos, dentes molares, ingentesq; tibias exhibet, ut eorum ipſe ſpectavi fragmenta, ab iis elata qui in eam ſe dimiſerant. An ergo & hæc quondam extitit Gigantum diverſorium? celeberrimus Monconyſius in itinere ex monte Sina verſus Cairum plurimos invenit lapides, quorum alii caput mortuum, alii corda magna optimè repræſentabant, & inter hæc unum exhibebat cicatricem, quæ aperta in utroq; latere monſtravit cor vulneratum. An fortè hæc etiam, quia magna, Gigantum? Idem conſpexit in monte S. Catharinæ rupem elevatam, quæ corporis fæminei formam cum ſtomacho & mammillis præſeferebat. Hæc fortaſſis fuerit ipſa Gigantum mater. In Inſula Melita referente Kirchero rupes maritima à monte ſeorſim dependens monachum ſuſpenſum exprimit, qui vulgo *il fratre impiccato* appellatur. Et hic fortaſſis in numero viventium aliquando fuerit, in lapidem converſus. Verum linquamus jocos. Niſi exactiſſima oſſium forma per apophyſes ſuas, cavitates, aliosq; inſertioni & tranſmiſſioni vaſorum deſtinatos poros, ipſaq; eorum interior textura, facilè interſtinguenda, oſſa ejuſmodi immania in cenſum concreti animalis vindicaverit, haud eadem pro hominum, multò minùs pro Gigantum oſſeâ quadam compage eruntreputanda. Neq; etiam, ſi ingentia animalium oſſa, brutorum crania, immanes tibiæ, largiſſimæ homoplatæ ſub terra ad haſce oras reperire olim fuiſſet obvium, certò concluſeris, tam eximiæ ſtaturæ homines, vel animalia quandoq; clima Weſt-

Gammaralog. p. 159.

Itin. Ægypt. p. 250.

ib. p. 248.

Mund. ſubterr. S. 2. *c.* 2. *f.* 37.

phalicum inhabitâsse. Unde eo quidem, exactissimæ nempe conformationis immania hæc ossa in concreti animalis sortem reverà asserentis, casu meam epicrisin hic superaddam.

Dari animalium quorundam inprimis marinorum ut & terrestrium magnitudinis ferè incredibilis ossa, quæ rudibus faciem humanorum præbeant, multiplici constat Authorum observatione. Inprimis Draconum ossa proximè referunt spinas, artusq; Giganteos. Narrat Joannes Patersonius Hain Physicus Eperiensis in Hungariæ ac Poloniæ confiniis existere cavernam tribus milliaribus à montibus Carpathicis, quam vulgò appellant Antrum Draconis, in qua ab ipsa veluti natura innumeris Draconibus positum sit sepulcrum, in eoq; repertum fuisse os, quod vocamus, sacrum maximi formam habens ephippii, & os femoris duarum ulnarum longitudine. Cranium Draconis Carpathici in sua naturali magnitudine portentum est, & ejus dens ad bilancem Henrici Vollgnadii illustris Medici sex libris pependit, non admodum longus sed palmâ latior. Illa si in hisce oris conspiceret rudior, jovem juraret lapidem, genuina esse Gigantum. Quid ergo vetat credere, vel ex Draconum, vel aliorum etiam animalium, inprimis autem piscium ingentium sceletis ossa à patrum nostrorum curiositate raritatis causâ olim in patriam asportata ac suspensa fuisse? Quod etiam, licet genuina forent Gigantum, non implicat contigisse, ut propterea pro Gentilium olim inquilinorum reliquiis non sint adeò mordicus tenenda. Certè regnante Augusto, sub quo in Westphalos Mars desævit Romanus, dubio caret non extitisse amplius harum regionum incolas Gigantes. Vel enim vivi in captivitatem ducti, vel saltem, si aliquando degissent in Westphalia, sceleta eorum è sepulcris eruta lucri & gratiæ captandæ causâ in urbem deducta fuissent, cùm Cæsarem Augustum singularem curiositatis ejusmodi amatorem prætorium Romanum Gigantum aliunde asportatis ossibus excoluisse memoret Suetonius. Extare penes Westphalos ac vicinos Drenthios Batavosq; aut Gigantum ossa, aut immania sepulcra, ergo & hos iis quondam in locis vixisse, Picardi sine nervo argumentum est, & sine fundamento suspicatio, sequela autem utriusq; nulla. Memoratu dignum est illud, quod in Anglia in planitie Salisburiensi admirabundus spectavit Olaus Borrichius, à paucis, quod mirum, scriptoribus animadversum, Danicæ quondam in Britannia potentiæ monumentum, saxea nempe illa Gigantum chorea, quam incolæ & Camdenus *Stonehenge* appellant. Quas ingentes saltantium statuas nemo tamen nisi in istius regni historia planè hospes pro Gigantum monumentis reputârit. Ut proin ad Westphaliæ portentosos sepul-

Eph. G. C. Dec. 1. an. 3. obs. 193. Et an. 4. & 5. obs. 81.

in Octav. c. 72. p. m. 156.

Tr. de ort. & progr. Chym.

pulcretorum silices par valeat analogismus. Esto alicubi sub arenis aut etiam cespitum bituminosorum stratis fuisse reperta tantæ molis ossa. An proin ibidem ab incolis ea quondam tumulata argues? etiam nonnunquam Belgæ & Westphali ex iisdem olim cuprum & ferrum eruerunt, quod autopta memorat Borrichius, an sub illis ergo nata dicemus? etiam sub profundis terræ soleis arenâ aut bituminoso cespite tectis integræ quandoq; hodiedum eruuntur arbores, an ibi crevisse asseremus? etiam in Lapicidina montis *Baumbergæ* hujus Diœceseos saxatiles reperiuntur pisces, qualem in ea detectam truttam saxatilem perfectissimè conformatam Academiæ Leopoldinæ Ephemeridibus communicat celeberrimus Wedelius. Quis ibi pisces petrefactos dixerit nisi delatos aliunde? Stat ergo rata sententia famigeratissimi per orbem, etiam Westphalicum, Nicolai Stenonis, curiosissimi Bocconi, aliorumq;, si varia maris inquilina, ossa exotica, pisces petrefacti, similiaq; exactissimè configurata in locis à mari remotis aut montibus recondita reperiantur, ea cataclysmis aut aliis oceani inundationibus illuc esse devoluta, & vel ipsa mutata in petram, vel succo saltem petrescibili ad varias formas exprimendas pro modulis inserviisse.

l. c.

De Solid. intra Solid. cont. Recherch. & obs. naturell. lettr. 29.

Quam enim rerum omnium susq; deq; confusionem non induxêre gemina ista diluvia? hæc arbores subter terram infra ipsa cespitum bituminosorum strata absconderunt, varia piscium marinorum aut terrestrium Draconum monstra ad terræ cavernas deduxerunt, quæ à spiritu lapidifico vel naturam saxeam induerunt, vel demum fatiscentia ipsi limo terræ molliori figuras suas impresserunt. Quod fieri posse docemur à confusis variorum animalium vestigiis petrefactis, quæ adhuc hodiedum in Comitatu Benthemensi monti Isterberg impressa spectantur. Diluviorum istas confusiones eleganter ad nostrum propositum exprimit Ovidius:

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras.
Et procul à pelago conchæ jacuêre marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.

Qui versus postremus in memoriam revocat navim, quam ad arcis *Teclaburgi* excelsum montis apicem in diluvio Cimbrico appulisse ac constitisse fama est, ut in ejus memoriam antiquissimi Ejus Comites gentilitiis insignibus anchoram inauratam in area cœrulea inseruerint.

Si quis ipsa terræ bituminosæ strata hac in patria curiosiùs inspexerit, videbit hæc à reliquis terræ soleis distincta, non esse nisi varias

 her-

herbarum, ſtipularum, ſtraminis, frondium, radicum, aliarumq; quiſquiliarum miſcellam atq; compagem, quæ diluvianis primùm aquis innatans, his poſtea refluentibus ad hæc loca reſedit, viſcoſitate ſulphureâ & bituminoſâ, quâ ſcatet oceanus, adhuc refertiſſima, unde fomentum igni præbet aptiſſimum, ut Phyſico hæc omnia exactiùs penſitanti dubium reſtare nullum poſſit, eâdem quoq; ratione ipſa Gigantum, qui reverà ante cataclyſmum in mundo vixêre, oſſa ad oras Weſtphalicas eſſe delata. Verùm non ingratum erit Lectori, nunc ipſum audire *Picardum* hujus ſententiæ Giganteæ hyperaſpiſtem cum *Surboldo* Weſtphalicæ olim Gentis vel Imperatore vel Duce in campis Elyſiis diſputantem.

CAPUT V.

Sententia *Eudoxi* contra Picardum confirmatur Dialogo Picardi & Surboldi in campis Elyſiis de urnis & magnæ molis ſilicibus ſepulcralibus.

SURBOLDUS. Opportunè Te hìc offendo mi Doctor Picarde, dudum enim in votis fuit tuus affatus, ut à te, qui noviter ad hæc loca appuliſti, fierem certior, quis modernus ſit Drenthiæ ac Weſtphaliæ ſtatus: admodum enim inquietari nuper noſtros manes moleſtè ſenſimus; quibus cùm tot jam ſeculis quies fuerit nunquam interrupta, ejus cauſam hariolari non potuimus aliam, quàm quòd cineres & oſſa noſtra, quæ in urnis ſepulcralibus ac ſub ſilicibus depoſita ſacra & religioſa voluimus, fortaſſis nonnemo in Weſtphalia tandem turbare ſit auſus.

PICARDUS. Haud perfunctoriè quidem Weſtphaliæ antiquitates ſcrutari conatus ſum, veſtros autem me unquam turbâſſe cineres non memini. Quid moderno ævo & nuper contigerit, mihi jam aliquot luſtris hìc moranti non magis quàm tibi poteſt conſtare. Spectavi quidem curioſior & non ſine ſtupore tum in Drenthia tum in Diœceſi Monaſterienſi circa Hünnelingam & Amſyburum extantes illos ingentium ſilicum acervos, ſed ſub iis tuos tuæq; gentis eſſe repôſtos cineres, nunquam ut crederem, animum potui inducere, quare & ſcripto non detrectavi hanc ſententiam publicè profiteri.

Vergetene en verborgene Antiquiteten.

SURBOLD. Inaudita profers Doctor de noſtris tumulis: neſciſne illum,

illum, qui in Emslandia ſpectatur, inſigniorem lapidem mihi etiamnum ad hæc uſq; tempora vel vulgi famâ conſtanter attribui, proq; meo reputari monumento, quod proin Surbolds Hauß cognominant? hunc tametſi junctis plurium lacertis laborârit olim dimovere loco miles Monaſterienſis, ob molis immanitatem non potuit. Verùm ediſſere, quæ tua ergo de his lapidibus eſt opinio?

PICARD. Conſtans ſemper mihi fuit perſuaſio, & neſcio quæ conjectura, iſtos jam aliquot annorum millibus ſuis in locis jacuiſſe, & excavatos ſub ſe habuiſſe fornices, nunc vetuſtate quidem collapſos, antiquitatum tamen rariſſimarum olim cuſtodes. *l. c. V. Diſtinct.*

SURBOLD. Peregrina narras Picarde, non ſperem te ea in noſtrum præjudicium ſcriptis evulgâſſe. Nulla apud antiquiores nos Weſtphaliæ incolas rariorum cura, nulla de theſauris (hi enim apud nos ſaltem fuêre rariſſimi) ad iſtos ſcopeliſmos defodiendi ſolicitudo. Quæ tua ſi fuerit perſuaſio, mirari ſubit, te non diligentiùs in iſta recondita inquiſiviſſe. Sed ſôdes, quos ſentis eſſe eorum authores, aut quibus putas adſcribenda hæc reconditoria?

PICARD. Semper equidem ratus ſum, illa nec Alanis, nec Svevis, nec Romanis, Francis, Germaníſve Weſtphaliæ quondam inquilinis deberi, ſed eſſe antiquiſſima Giganteæ ſtaturæ hominum ſepulcra, jam ante diluvium cimbricum illic poſita. Induxit, ut hoc crederem, ſilicum portentoſa moles, quibus erigendis neq; vires neq; machinas vobis, utpote barbaræ & incultæ genti, fuiſſe judicavi probabiliſſimum, ut proin ſolas Gigantum manus hæ ſtructuræ exegerint: nam & ipſe *Saxo* famoſus Polyhiſtor ex ſilicibus ſtupendæ magnitudinis curioſè ſibi impoſitis, & in Dania Cimbriaq; adhuc conſpiciendis ad iſtos tractus extitiſſe Gigantes concludit. *in Procem. Hiſt. Danic.*

SURBOLD. Admodum hallucinaris Picarde, & magnam infers injuriam Weſtphaliæ majoribus, quos inter Gigantes iniquè reputas. Iſtos ſilices, quia magni ſunt, credere antidiluvianorum Gigantum eſſe depoſita, nimiam ſapit antiquitatem. Conceſſerim tibi, fortè ante prædictum Cimbriæ cataclyſmum vixiſſe in Weſtphalia Gigantes (de quibus tamen ante tot ſecula vivens nil unquam me inaudiviſſe memini) an ideo ſtatues has illorum eſſe urnas & tumulos? qui fieri potuit ut in horrenda illa Oceani inundatione, quæ vallibus montes æquavit, intacta atq; illæſa perſiſterent ab horizonte vix elata ſepulcra, & infra primam terræ ſoleam vix locatæ urnæ? ut nil addam de aggeribus & colliculis circa uſtrinam hinc inde hodie adhuc diſpoſitis. Si eâ, quâ modernus ſepulcrorum noſtratium ſcrutator, indagine lapides iſtos viſitâſſes

sitâsses, meos meiq; populi sub illis cineres, & nostrorum non Giganteorum ossium fragmenta deprehendisses. Unde verò amabò ista tua de Westphalicis Gigantibus somnia?

PICARD. Indubitatum supposui non modò ante sed & post diluvium in orbe vixisse Gigantes, & filiorum *Enakim, Emim, Nephilim, Rephaim*, immensæ staturæ, immanis roboris, & belluinæ ferociæ hominum sobolem Sveciæ, Gotiæ, Norwagiæ, Daniæq; partes latè inhabitâsse, ex iisq; in tractus quoq; Westphalicos excurrisse, eos incoluisse, & tantæ molis constituisse monumenta.

SURBOLD. Malè supponis Picarde, & malè infers. Barbarus ego quidem non didici syllogismos, neq; tamen ita sum brutus, quin naturæ lumine noverim non valere consequentiam: vixêre antiquissimis ante diluvium temporibus passim & sparsim per orbem Gigantes, ergo lapides Westphaliæ aut Drenthiæ sepulcrales, quia magni sunt, ad eos pertinent. Gigantum cadavera nostro & Romanorum more combusta esse an credes? sub lapidibus tamen istis scribis tumulata, unde ergo ollæ, nisi nostras esse concesseris, illuc devenêre? certè, si harum fuisses curiosior autopta, conjecturis non tantùm indulsisses.

PICARD. Convictus prope nunc tibi cogor assentire; verùm dic mihi Surbolde, sed seriò? non sunt istæ urnæ Gigantum, aut portentosi isti silices prosapiæ Enakinæ sepulcra?

SURBOLD. Si perpendisses nulla ante Romanorum ad Westphalos adventum viguisse opificia, nullam extitisse configulandi artem (cujus tibi fidem facere potuisset Tacitus Romanarum ad istas oras coloniarum quæstor, quando scripsit: *Ne cæmentorum quidem apud illos* (antiquos nos Saxones & Westphalos intelligit) *aut tegularum usus, materiâ ad omnia utuntur informi, & citra speciem & delectationem*) indubiè conclusisses, ollas istas ferales variis figuris incisurisq; sæpe elegantibus formatas, furnoq; figulino excoctas non esse Gigantum, & ne primorum quidem à cataclysmo seculorum, sed mei duntaxat posteriorisq; ævi producta; præsertim si quoq; varia urnarum additamenta ferrea, lapidea, osseave, militiæ vel qualicunq; nostro decori olim dicata deprehendisses. *Vid. Sep. W. G. Sect. 1. c. 6.*

PICARD. Fateor convincentia profers, & res mihi nunc satis plana & certa videtur de urnis: sed nondum hisce omne excutis dubium, aut sufficienter evincis, à Gigantibus non esse congestas immanes istas lapidum moles, & præsertim illud in agro Amsyburano

Saxum ingens, quod vix denâ cervice gementes
Vertere humo, murisq; valent inferre juvenci. *Statius. Theb. l. 2.*

Si

Si enim Julius Cæsar, ut veterum Gallorum proceritatem ac robur evinceret hac utitur inductione: *Quibusnam manibus aut quibus viribus præsertim homines tantulæ staturæ (nam plerumq; omnibus Gallis præ magnitudine corporum suorum brevitas nostra contempta est) tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent?* Nunquid & mihi arguere licebit, si à Gigantibus composita non sit ista saxorum strues, à quibus ergo componi potuerit? unde porrò rescire aveo, an isti labori adæquatum corporis robur obtinuerint antiquiores Westphali?

SURBOLD. Ecquid dubitas? quod factum est, satis liquet fieri potuisse. Scito mihi meisq; asseclis lacertorum potiùs robur portentosum quàm corporis molem prodigiosam fuisse. An nunquam ex Seneca animadvertisti Germanorum robur? *Quod si*, inquit, *in Germania natus esset puer, protinus tenerum hastile vibraret.* Si pueris illæ vires, quid de virorum robore judicabis? Si tantæ molis fuisse judicas hæc à nobis condi sepulcreta, quid statuisses, si tibi visus fuisset ille in principatu Anhaltensi lapis sepulcralis, cujus circumferentia 28. habet passus vel in ipso lapide facilè obtinendos, qui duobus aliis erectis lapidibus nixus sub se format caveam, quæ commodum octo hominibus cœlo pluvio præbet diverticulum. *Epist. 36.* *teste Oleario.*

PICARD. Non equidem legi aut vidi ista. Recordor tamen scripsisse Rogerium Baconem, posse unum hominem facili instrumento ad se trahere mille homines etiam invitos. Fortassis tali ad hosce tam immanes lapides movendos usi estis. Perhibet Wilkius Anglus docetq; uno oris flatu posse vel maximam in sylvis quercum eradicari. Fortè & vobis tantæ fuit potentiæ flatus? *L. mechanical pouver.*

SURBOLD. Jocaris video Picarde. Antiquioribus nobis Westphalis ceu statices ignaris ignota fuêre ejusmodi instrumenta, vectes, trochleæ, & magnetes mechanici. Neq; flatus nobis tantus fuit quantus hyperbolico isti Anglo oris hiatus. Licet rotis & machinis elevatoriis destituti fuerimus, non incognita tamen nobis fuit simplicissima methodus per scytalas sive cylindros ligneos etiam immensi ponderis moles in plano horizontali ad lubitum volvere, & ea quæ vestra tantoperè mirata est ætas erigere sepulcra, accedente præsertim artuum nostrorum vecte robustissimâ.

PICARD. Fateor me nunc modum capere, & credere genti vestræ vires fuisse posteris stupendas. Neq; enim planè insolita etiam ævo nostro fama fuit de lacertorum portentoso robore in pluribus vulgaris licet staturæ viris. Ut Sfortiam bellicosissimum, & Selimum Tur-

carum

Jac. Spon. itiner. l. 2. p. 19. carum Imperatoris Baizethi filium, nec non integram adhuc hodiedum in Dalmatia Græcæ Religionis Gentem bellicosam & robustissimam (Morlachos appellant) taceam, exemplo esse posset celeberrimus Comes de Burgstal, qui aliquot centena æris pondera unâ manu per scalas portare & septem simul homines adultos humeris excipere valuit. *D. Francisc. ad Valvasor Descript. Carniol.* Hoc igitur quod nostri ævi paucissimis robur scio concessum, toti vestræ genti potuisse esse proprium non inficior, sed singularis me nunc incessit lubido à te intelligendi unde ortum habuerit, meliùs enim quàm tu ipse huic quæstioni nemo satisfecerit.

SURBOLD. Medicus es Picarde, unde Physica tua promptius tibi suggeret responsum, quàm barbara mea ruditas. Exponam tamen quod sentio, meq; ipsum tibi sistam in exemplum. Erat alta mihi statura corporis & habitus verè athleticus, cujus etiamnum cernis umbram: eximia humerorum latitudo, & iis conspirantium brachiorum amplitudo: pectoris fortissima compages, ac cervicis & colli torositas: ut potuerim gloriari in descriptione Ulyssis Homerica me fuisse delineatum:

Odyss. 18. - - - *apparuerunt autem ei lati humeri,*
Pectoraq;, fortiaq; brachia.

Porrò tibi sciendum, mihi meisq; miram musculorum potissimùm circa articulos duritiem, fibrarum omnium elaterem & tensionem tonicam, tum ossium quoq; soliditatem, quæ omnia ad robur plurimum contribuunt, adfuisse: ita ut si quempiam ex nobis contrectâsses, marmor aut ferrum non carnem te contrectare dixisses. Hæc autem cui in acceptis referam, nunc attende. Inprimis suppone istam corporis texturam mihi meisq; jam ab ovo fuisse genialem, (nam fortes creantur fortibus, & est in equis patrum virtus) atq; istum fibrarum muscularium elaterem non tam cœli soliq; peculiari genio, quàm generationis nostræ primis principiis deberi. Quam tamen continuo athletices, cursuum, exercitationis circa feras & potissimùm adversùs hostes perpetuo usu reddidimus multò fortiorem potentioremque. E contra nil studiis & curis, nil ratiociniis & meditationibus dedimus, quibus haud parum spirituum & consequenter virium expenditur. Sed spiritus quos generabamus, instar brutorum, quibus sola est nutritio & motus localis, conjunctis quasi manipulis corporis tantùm robori augendo reservabamus. Eramus quippe instar ferorum animantium, seu saltem hominum ex maniâ amentium, quibus quale robur sit, ut obices crassos ferreos & catenas levi negotio disrumpant, & immanes moles loco moveant, tibi Medico haud est ignotum. Nativæ hæ vires ex ipsis quoq; alimentis majus incrementum accipiebant, cùm iisdem, quibus constamus, nutriamur.

triamur. Quem verò meum & antiquorum Weſtphalorum putas fuiſſe cibum? nullus me herculè niſi ſimplex, agreſtia poma, recens fera, lac concretum, pecus ſemicrudum, omnia ferè incocta. Ab his alimentis in eos artus eáq; membra excrevimus. Si enim in carne cruda vitæ belluarum mediæ proprietates remanent, an dubitas & robur belluinum ſimul in nos tranſiiſſe? Accedit demum, quod eſt longè maximum, quòd meo ævo Weſtphalia ignoraverit vitem, ſic & omnem vini potum, ex quo exiliora & infirmiora gignuntur corpora. Veteres enim nos Germani vinum ad nos importari omnino non ſinebamus, quod ſic ad laborem ferendum homines remolleſcere atq; effæminari arbitraremur, quæ & Julii Cæſaris & Nerviorum, populi in belgio longè fortiſſimi, fuit ſententia. Ego licet dux meæ gentis non colui Bacchum, nulla Cereris inebriamina, nec illi hæc permiſi. Non diffiteor ex rudiori iſto nutritu mens nobis quóq; rudior & agreſtior erat, ſed reddita mox excultior, quando Romani dedêre mores, rationem & diſciplinam. Ex quibus omnibus jam tibi facile eſt colligere, vera eſſe, quæ de nobis perhibet Seneca ferè coævus. *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius, quibus innaſcuntur innutriunturq;, quorum unica illis cura eſt in alia negligentibus? quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus cœli rigorem.* Sic eſt mi Picarde, neſcivimus delicias & luxum, quia opes ignoravimus.

Juxta Helmont.

Hoc probat Turnebus Tr. de vino.

l. de Ira.

PICARD. Captu mihi haud difficile nunc eſt, quomodo ex hujus generis alimentis tantum veſtris artubus robur, tam firmus corpori habitus acceſſerit, ut tantæ molis ſaxa coacervare, alia aliis imponere, &, quod de Diomede ait Homerus, vaſtum molare facili niſu jacere potueritis. Quod ut promptiùs credam, me inducit Jacobus Bontius referens in *Malacca* & quibuſdam Indiæ locis herbam creſcere, quæ oſſa adeo firmet ac roboret, ut ſi ejus ſucco duntaxat dentes imbuantur, ſilicem facilè poſſint in pollinem redigere. Non diſſimulo me opinatum, antiquam Weſtphaliam & paludibus obſeſſam, & ſylvis opacam extitiſſe, ut proin humidiore ſolo fortiora & altiora corpora vobis evenire fuerit neceſſum. Quemadmodum enim in oceano majores enaſcuntur belluæ ob elementi liquidi ſedem & humoris luxuriem, ita in Hollandiæ, ac Friſiæ locis Weſtphaliæ confinibus ob ejus copiam & majora & firmiora judicavi fuiſſe enata corpora. Quemadmodum quoq; prope perennes aquarum rivos lætiùs quàm in arenis adoleſcunt arbores, & in paluſtribus Bataviæ oris majores quàm in locis retorri-

Med. Ind. c. 33. p. 86.

dis ſuccreſcunt vaccæ, ita in regionibus prædictis maximè aquoſis & irriguis ponti & fluminum accolas imaginabar mihi fuiſſe Gigantes.

SURBOLD. Sic eſt Picarde. Phantaſia tua doctis fæta fuit ideis, ex quibus ſat ingenioſæ in tuos annales profluxerunt conjecturæ. Proceri & robuſti corporis fuimus, ſed non nutritionis duntaxat beneficio: ſagines enim pygmæum quocunq; velis alimento, non reddes Gigantem; neq; etiam ex genio ſoli nativi; idem enim hodie quod olim Bataviæ & Weſtphaliæ Clima nullas producit Cyclopum ſtaturas: Sed ab ipſiſmet congenitis principiis, ex iiſq; fluente proprietate nobis præ aliis populis familiari. Debuiſſes illud Senecæ attendere: *Alternæ ſunt vires rerum: magna iſta, quia parvi ſumus, credimus. Multis rebus non ex natura ſua, ſed ex humilitate noſtra magnitudo eſt.*

Quæſt.natur.l.3.in Præf.

PICARD. Agnoſco nunc errores meos Surbolde. Fateor me nimium tribuiſſe conceptibus, & conjecturas de veſtris tumulis literis creditas ex ingenii potiùs fæcunditate quàm inveſtigatione & autopſia deprompſiſſe. Intelligo autem jam quoſdam in Weſtphalia diligentiùs tua eſſe ſcrutatos oſſa & cineres, hincq; non miror te inquietari. Ipſus ſanè metuo, dictante quam à te hauſi ſcientiâ, ne hiſce meis ſententiis extrema nunc fata inſtent, & me apud poſteros maneat obſervatoris minùs exacti prædicatum. Sed ecce! Mercurius advolat ex Weſtphalia. Audiamus, quid de ſtatu ejus moderno aſportet novi. Accedamus propiùs, ut Curioſitati noſtræ ſatisfaciamus. *Explicit Apologia.*

CAPUT VI.

Varia in ſepulcris & ad urnas paganorum inventa curioſè diſquiruntur.

Sect.1.c.6.

EUdoxus varia Gentilibus oſſuariis adjecta eleganti non minùs calamo quàm ſtylo chalcographico depingit. Qualia tamen in tumulis Weſtphalicis rariùs, magno autem ſæpiùs numero in Cimbricis reperiuntur, in quibus haſtas, frameas, ſagittas, calcaria, cultros æreos inventa refert Arnkielius. Cauſa quæ inſtrumenta ejuſmodi & arma cineribus adjicere paganos compulerit, vix ſatis hodie conſtat. Nonnulli id factum conjiciunt, ut tumulatorum profeſſiones atq; vitæ ratio poſteris innoteſcerent. Sic cum anguillis & cultris ſutóres, cum forfecibus ſartores fuiſſe ſepultos, ac proin talia hodie ad urnas

De re funebr.pop. Septentr. l.1.c.22.

Cim-

Cimbricas reperiri author est *Daniel Major* Academiæ Chiloniensis olim Professor doctissimus. Verùm non videntur hi ferire scopum: frustranca namq; fuisset ista Gentilium intentio, cùm sepulcra religiosa voluerint, quæ nunquam deinceps recludi aut violari jus manium statuebat. Apud primitivæ tamen Ecclesiæ Christianos varia interdum tumulis addita signi rationem habuerunt; quippe Sanctorum Martyrum reliquiis nummus adjiciebatur loco indicis, ex cujus epigraphe posteri intelligerent, quo sub tyranno subiissent pro fide martyrium. Sic D. Thomæ Apostoli corpus (ossa nempe candidissima calci & arenæ veluti cæmento immista) Melianore in Coromandelio littore sub Joanne III. Lusitaniæ Rege apposità lanceæ cuspide, viatorii baculi frusto, atq; vase fictili inventum esse refert Maffeius. *Bosius in Rom subterr. l. 4. c. 31.* *Hist. l. 8.*

Longè igitur alia eorum erat persuasio, ridicula nempe credulitas, talem apud inferos comparere defunctum, qualis esset tumulatus. Unde Papinius de Capaneo ad inferos cum armis omnibus deveniente inquit: *Lib. 8.*

Et armato turbavit funere manes.

Sic & apud Ezechielem *fortes cadentesq; & incircumcisos descendisse ad infernum cum armis suis, & posuisse gladios suos sub capitibus suis* legimus, quod & pariter animadvertit *Eudoxus.* Arma itaq; & gladios ad urnas Suecicas sæpe inveniri scribit *Rudbeckius.* *Lucianus* verò acutissimus sycophanta albis dentibus ridet hasce Ethnicorum nugas, hoc uno tot Romanis sapientibus prudentior. Ad quid enim illa arma, vestes, & mundus adjectus? forsitan ut pro eorum conditione ab inferis acceptentur tractenturq; in campis Elysiis? (hos & veteres Dani credebant Bartholino teste, & *Valhalla* appellabant) ad quid jugulatio equorum mancipiorumq;? fortassis ut comitatum habeant & equis ad alibantas provehantur? an quæ maximè pretiosa in rogis jubent conflagrare, in altero mundo servient? descendetne vinum tumulis infusum ad inferos, & quò apud eos bibatur restabit incorruptum? an cibis rogo appositis nutriuntur defuncti, aut iis destituti fame pereunt? ad quid ori morientium insertus argenti numulus portitori pro naulo solvendus, non attentô, num hæc moneta in regno Plutonio ullius sit valoris? præstitisset nil imponi, ut à Charonte non transmissi ad vivos redire cogerentur. His & similibus sarcasmis quascunq; luctûs funebris gentiles cæremonias non rudi minervâ explodit Lucianus, certè *parcus Deorum cultor & infrequens*, quia reverà Atheus. Christiani de animæ immortalis post mortem statu meliùs informati paganicos istos funerum ritus meritò *c. 32. v. 17.* *Atlant. tom 1. c. 24. p. 652.*

 vel

vel sub primam fidei orientis lucem mox deseruerunt, si modò modernus sepulturæ luxus, tametsi superstitionem haud redoleat, etiam quandoq; non excederet, ut in parallelis Christianorum & Ethnicorum ritibus pluribus annotavit *Eudoxus*. Meretur de eo paucis multa dicens audiri Magnus HIERONYMUS: *Cur mortuos vestros aureis obvolvitis vestibus? cur ambitio inter luctus lacrymasq; non cessat? an cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt? &c.*

Sect. 2. c. ult.
L. 2. Ep.

Revertamur ad urnas. Mallei lapidei perforati ad illas alicubi in Westphalia inventi ectypon sistit *Eudoxus* unà cum eruditis conjecturis: quibus & nostras adjicimus. Malleos ejusmodi Gentilibus, Cimbris præsertim ac Danis, familiares fuisse ipsimet fidem faciunt in istorum tumulis sæpius reperti. *Arnkielius* statuit illorum usum desumpsisse paganos à malleo sui Deastri Thor appellati, quo hunc in bellis magna patrâsse fabulabantur. Notum aliàs est, eos olim apud plures speciem lapidum fulminarium subiisse, quod tamen minùs probabile judicamus cum prælaudato *Daniele Majore*, qui cuneos ejusmodi arti humanæ suos debere natales, & quondam instrumenti bellici vices explevisse concludit, quam quoq; sententiam fovet *Eudoxus*. Memoratu digna est de his relatio *Jo. Ludovici Hannemanni* Academiæ quoq; Cimbricæ æterni decoris. Effossus est in Cimbria ex curiositate ac jussu fæminarum nobilium, & quidem sub spe thesauri inveniendi scopelismus, insciis tamen maritis. Continuit hic præter ollam cineribus refertam cultrum veterem & novem ex lapide cuneos elegantes ac quasi politos. Secutus autem laborem funestus est eventus. Quippe mors, quot fuerant lapides, tot ex eadem illustri familia unius anni spacio abripuit. Et talia plura ex reclusis Gentilium sepulcris secuta pericula recensent *Panarolus* & *Bartholinus*. Unde consolationi ad Helviam præfixit Seneca:

Tab. V.
L. 3. c. 7. §. 9.
Das neu-Bevölckerte Cimbrien / p. 45.
Pentec. 1. obs. 18.
Cent. 4. obs. 37.

Crede mihi vires aliquas natura sepulcris
Attribuit: tumulos vindicat umbra suos.

Tametsi enim Gentile jus manium Christianos non stringat, neq; ulla sit religio Ethnicorum tumulos recludere. Mirus tamen quandoq; circa hos indeq; eruta mortuorum ossa malorum geniorum lusus est, non quidem apud eos, qui intentione laudabili acquirendæ scientiæ, sed illicitâ thesauri illos pervestigant; unde sat tutò Olaus Rudbeckius in Suecia ad 12370. sepulcra Gentilium teste *Arnkielio* effodit.

Diss. 9. de Med. Danic. domest.
l. 2. c. 15. §. 14.

Certum quidem est non raro cum defunctis olim fuisse defossos thesauros, ut horum essent veluti custodes. Sic Hircanum è Davidis sepul-

ſepulcro tria talentorum millia abſtuliſſe memorat *Flavius Joſephus.* *l.3.antiq. J. c. 15.*
Magni pretii theſaurum, quem Childerici I. Francorum Regis Tornaci Nerviorum anno 1653. effoſſum dedit ſepulcrum, deſcribit in *Anaſtaſi* curioſiſſimus *Chifletius*, cujus pretioſiora Cimmelia Pariſiis ipſe quoq; ſpectavit *Eudoxus.* Imperator Honorius Stilliconis filiam ſibi in matrimonium elegerat, quâ ante connubii nexum defunctâ ambiit ſororem, quæ pari fato ante nuptias deceſſit. Tumulata utraq; eſt à parente cum omni luxu & ſexûs Clinodiis pretioſiſſimis. Exactis mille centum & octodecim annis, dum Romæ in S. Petri æde novæ ſtructuræ quæreretur fundamentum, detecta eſt crypta, & in ea omnis hæc opulentia, integra adhuc & ſalva, ſi margaritas digitorum tactu friabiles exceperis, quæ omnis extradita eſt ſupremo urbis Antiſtiti. Verùm in urnis Weſtphalicis fruſtra quis gazas quæſiverit, quarum loco, quæ vetus paræmia eſt, carbones inveniet. Quid enim aliud in illis, quàm quod in collectaneis Epigrammaticis Pithæi cecinit de avaritia Sulpicius Lupercius:

Ambuſti torris ſpecies exeſaq; ſeclo
Abduntur priſcis corpora de tumulis?

Fruſtra quis ſibi cum Plauto ſpem fecerit aut promiſerit: *Pſeud.artic.1.ſc.4.*

Ex hoc ſepulcro vetere viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem herili filio.

Ridicula ergo prorſus fuit, & vulgi ſtupiditatem indigitans ſuſpicio theſauri per *Eudoxum* aut quæſiti aut inventi. Occaſione cujus rudiori venâ deproperatas ſtrophas, quas in Epiſtola ad hunc data & Sepulcreto Weſtphalico-Gentili adjectâ promiſi, hìc apponere extra ollas haud erit:

Antiqua reſtant plurima Weſtphalis
Obtecta terris, quæ nigricantibus
Damnata ſunt adhuc tenebris,
Et veteri latitant ſub umbra.
Deceptus errat, qui gravidas putat
Has aureo urnas ære, ſepultaq;
Plutonis in his dona condi,
Perpetuâ tumulata nocte.
Mors eſt in ollâ, ſunt cineres ſuis
Urnis repôſti, quos Rogus Ethnicis
Ex concrematis more avito
Corporibus ſupereſſe fecit.

Thesaurus iste est, quem patrii soli
Quærunt amantes, qui satiant quidem
Non inhiantem auro helluonem,
Sed studiis animum dicatum.

Prævideruntsatis ipsi Gentiles sepulcra sua apud posteros gazarum fortè indagatores non mansura penitus intacta, unde ad hos ludendos varia iis adjecerunt. De quibus nunc pauca.

Xerxes Persarum Rex veniebat ad Beli monumentum, ut narrat
*l.*13.*c.*13. Ælianus, quod dum cupiditate auri, ut putabat, reconditi aperiret, vitream duntaxat urnam reperit oleo, in quo cadaver jacebat, non tamen ex toto plenam. Juxtà in columna scriptum erat, pessimè habiturum, qui aperto sepulcro urnam oleo non expleret. Rex ad lectionem expavescens, jussit quamprimùm oleum afferri affundique: verùm expleri nullâ affusione potuit, ut humanæ cupiditatis abyssum præseferret. Ita delusus est Xerxes.

Semiramidis Reginæ Babylonum astutissimæ sarcophago inscriptum erat: *Qui aperuerit, Regum ille thesauros divitiarum inexhaustos, quod sufficiat, inveniet.* Aperuit Cyrus ambitiosus & avarus. Sed præter spem thesaurorum nihil, pro acri verò reprehensione tabulæ legit inscriptum: *Nisi mortalium omnium esses avarissimus, mortuorum sepulcra non violares.* Ita delusus est Cyrus.

In tumba Artefii Arabis vetustissimi, quem alii Judæum volunt, postea tamen conversum, & quem mille & viginti quinque annis refert
L. 16. *de rer. var. c.*43. vixisse Cardanus, aurea inventa est lamella, cui integer artis Chrysopœiæ processus verbis planè ænigmaticis fuit inscriptus. Hic innumeros auripetas hactenus lusit, & etiamnum non cessat ludere. Scilicet ita mortui quandoq; volunt vivorum exercere ingenia: cujus en
in Ep. XI. Ausonii. aliud insigne specimen ab *Eliâ Vineto* annotatum.

Repertum est anno æræ Christianæ MDXLI. mense Januario Varsii, qui parvus in Aquitania vicus est, in quodam monumento arca plumbea, in qua corpus humanum sepultum tenui quadam pelliculâ araneæ telæ instar fuit tectum, quod cum lucem accepisset, mox evanuit solis restantibus ossibus. Cùm verò ossa illa & quidquid pulveris in arca fuit diligentiùs excuteretur, num quid fortè pretiosius lateret, repertum est nihil, præterquam in loco pectoris circa cordis regionem bractea ex purissimo auro. Quæ perquàm tenuis (semi ducatum enim dumtaxat pendebat) & longior quàm latior in teretem formam erat complicata, quæ ubi explicata fuit, in ea sequentia impressa

fuerunt:

fuerunt: ſcalpturam enim præ tenuitate bractea ferre non potuerat:

A E H I O Y Ω
Ω Y O I H E A
E H I O Y Ω A
Y O I H E A Ω
H I O Y Ω A E
O I H E A Ω Y
I O Y Ω A E H

Quis in hoc quadrato arcana divinet Pythagoras? Græcæ vocales ſunt ſeptem, totidem per diverſas ſeries repetitæ vicibus, ut pluribus oſtendit Kirchmannus. Author quiſquis fuerit, non inelegantis profectò ingenii hac exigui pretii bracteolâ inventores poſteros quoq; voluit ludere, vocalibusq; toties replicatis exercere ingenia, ut complicato quidem hoc auri folio eum magnos theſauros in tumulo recondi ſolitos, ſeptem vero iſtis literarum typis ſplendida & prolixa epitaphia riſiſſe poſteri animadverterent. Et hæc pauca de ludicris, ingenioſis tamen ſepulcrorum additamentis. Quamvis iſti poſt fata luſus vel fallendi vel jocandi in vita genium homini tumulato nativum fuiſſe prodere videantur. Unde & Sergius Polenſis Paraſitorum princeps poſt mortem quàm in vita veracior & ſyncerior ludicrâ tumulo ſuo adjectâ hac epigraphe ſuum ipſe faſſus eſt alios ludendi morem:

De Funer. Rom. l. 3. c. 14.

Saxum hoc vos vocat, quid inquam?
Ut vivus aſſuevi prudens, imprudens mortuus item
Vos fallo, nam vos non vocat, quod caret ore,
Verùm is cujus cinis hìc latet. Abite
In rem veſtram viatores optimi,
His nugis ambagibuſq; meis condonate poſthumis.

Notetur in linea 2. & 3. verſus.

Incidit hìc memoratu dignum, drama dicam an hiſtoriam? quod à Rutilio Numatiano vel juxta alios quo neſcio Plauto authore literatis ſub titulo *Queroli* eſt propoſitum. Unde nec Viri doctiſſimi Rittershuſius, Grüterus, Barthius illud Scholiis, & Vitalis Gallicus proſâ ligatâ dedignati ſunt. Euclio aurum in urnam olim congeſſit quaſi buſta patris, odoribus inſuper infuſis tituloq; extra addito. Hac domi defoſſâ navim aſcendit neq; ulli rem aperit, ut qui urnam reperiret, buſtum putaret. Euclio igitur peregrè moriens paraſitum ibidem cognitum filio cohæredem inſtituit tacitâ ſcripturæ fide, ſi eidem theſaurum occultum ſine fraude oſtenderet. Senex autem locum tantummodò indicavit, & ſive oblitus ſive ſupervacaneum putans de buſto & titulo nihil expoſuit. Paraſitus navim aſcendit, ad *Querolum* venit & rumpit fidem. Accedit

dit locum, liberè urnam inſpicit, dolo decipitur, & buſtum quod ſimulabatur credit, animum quidem habebat ſibi retinendi aurum ſi quod reperiſſet, ſed offenſum non invenit, etſi manibus tenuit, urnæ mortualis ſpecie deceptus autumans ſe ab Euclione mortuo fuiſſe deluſum: & ſic dimidio ſuo præmio excidit. Accedit *Querolus* & urnâ exploſſâ & comminutâ buſtum in aurum vertitur. Hæc rei totius eſt fabula. In qua mirari ſubit, vel infortunium vel fatuitatem paraſiti, quòd ollam manibus tenens non potuerit ex pondere diſcernere eam auro plenam, ab alia unius duntaxat hominis cinere non tam repleta aut farctâ quàm ſemiplenâ. Ita propriæ infelicitatis ſibi faber extitit. Caverit itáq; quiſquis talem in Weſtphalia urnam reperit, ne paraſiti fata patiatur, imò & ne offendens ipſius canis, de quo Phædrus Auguſti libertus:

Fab. 27.

> *Humana effodiens oſſa theſaurum canis*
> *Invenit, aſt violavit quia Manes Deos,*
> *Injecta eſt illi divitiarum cupiditas.*

Verùm crediderim rem iſtam vacare periculo, neq; ollam ſic auro gravidam facilè apud Weſtphalos fore obviam. Tametſi *Eudoxus* referat, à quodam patriæ Primate & illuſtri Heroë cupreis ſaltem numis plenam fuiſſe repertam, & de talibus quóq; in radicibus Caſtri Arminii effoſſis mentionem faciat Goëzius. Optandum fuiſſet, hos curioſiori diſquiſitioni fuiſſe ſubjectos, utpote ex quorum impreſſis figuris aut characteribus plurima patriæ hiſtoriam dilucidantia in tanta antiquitatum caligine erui potuiſſent. Romanos enim commendat ſculpturæ elegantia, Gothicos autem ſatis prodit rudior elaboratio & figuræ impreſſio. Siquidem, ut Caroli Patini verba mea faciam, Gothi rerum facti Domini, Rom. Imperatores æmulaturi ſuis typis & characteribus monetas procudebant, ſed barbarie & craſſâ ubíq; regnante ignorantiâ tantâ, ut vix quidquam contineant quod gratum eſſe poſſit. Rebus autem poſtea triſti pace compoſitis omne cudendorum numiſmatum artificium & conſervandorum ſtudium ſenſim periit, barbaris rudi & leviter ſignatâ maſſâ in uſus vulgares contentis.

De Num. Dec. 2. *Diſſ.* 6.

Introduct. ad Hiſtor. Numiſm.

Ex hactenus allatis concludi poteſt, tumulorum urnarumq; additamenta vel Gentilium redolere ſuperſtitionem, vel docere poſteros, vel ludere, vel terrefacere inventores: unde & apud Apuleium *buſtorum formidamina & ſepulcrorum terriculamenta* appellantur. Addendum nunc aliquid de inciſis ſilicum ſepulcralium notis, ſeu characterum Gothicorum quibuſdam reliquiis, quas in iis adhuc reperiri ſcribit Picardus. Videre quidem eas hactenus in voto fuit Viris Curioſis:

l. c. Diſtinct. 5.

riosis: ast nullibi comparuerunt, fortè post conspectum Picardi magis lyncei cœno & squallore obductæ, ut in lucem protrahi nequeant. *Ardua* nempe *est illa provincia*, inquit Olaus Wormius, *nec exigui operis, durissimarum cautium fugitivas notas retrahere, totq; seculis sepulta resuscitare, & cum temporum tempestatúmq; violentia bellum gerere. Eudoxi* de hoc quóq; justæ sunt querelæ. Quandoquidem canente Juvenali, *veniunt ipsis quóq; fata sepulcris.* Incisæ sunt urnis variæ striæ, lineolæ, nec non ductus sæpe non ineleganter, sed nemo eos dixerit characteres aut literas Runicas. Treverus quidem urnas in Italia, ut & in Clivia characteribus notatas reperiri scribit, quod tamen magis jocum sapere rectè animadvertit Stieffius. *l. d. urn. Silesiac. pag.* 18.
Scilicet ut canit Ausonius,

- - - - - - - *monumenta fatiscunt,*
Mors etiam saxis nominibusq; venit.

Ipsis quóq; terrenis tumulis non ea hodie amplius est facies, quæ apud gentiles, néq; ea colliculorum altitudo, ut notavit Lipsius, quod & jam prædixit Seneca ubi ait: *Cætera quæ per constructionem lapidum aut marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem, quippe & ipsa intereunt.* *Consol. ad Polyb. c.* 37. Ideo nec hodie *altas* illas *sepulcri exstructas cœlóq; eductas aras*, ceu loquitur Silius, amplius ullibi conspicimus. Notas igitur lapidum Picardinas saltem in Westphalia nostra ponimus inter res abstractas à sensilibus, & ab intellectu solo cognoscibiles. Non insolens quidem erat apud gentiles, urnas & saxa sepulcralia defunctorum nominibus signare, unde Virgilius: *Ossáq; nomen Hesperia in magna si qua est ea gloria signat.* *Æneid. l.* 7. Et apud Ovidium sorores Meleagri affusæ jacent tumulo

- - - - - - - - - *signatáq; saxo* *l.* 8. *met. IV.*
Nomina complexæ, lacrymas in nomina fundunt.

Et apud eundem Ceyce mæsta ingeminat:

- - - - - - - - - *inq; sepulcro*
Si non urna, tamen nos junget litera, si non *l. c. l.* 11. *Fab.* 10.
Ossibus ossa meis, at nomen nomine tangam.

Verùm Barbaries olim Westphalica non admisit hasce elegantias, sive in inscribendis nominibus, sive in aliàs solenni apud paganos terræ levioris apprecatione, quæ vel characteribus *H. R. I. P.* hoc est, ut Valerius Probus interpretatur, *Hic requiescat in pace*; Vel *O. T. B. Q.* hoc est *Ossa tibi bene quiescant*; Vel deniq; formulâ ab *Eudoxò* notatâ *S. T. T. L.* id est *Sit tibi terra levis* indicabatur Unde omnium

graviſſima apud eos erat deteſtatio, ſi imprecarenter: ut *rigidus ce-*
l.5.ep.36. *ſpes tegeret oſſa* juxta phraſin Martialis, ut *infelix ea urgeret lapis*
l.1.Eleg. juxta Tibullum, ut *terra premeret gravis* juxta morem loquendi illis conſuetum. Quâ quidem devotione gentili penſitatâ profectò memoratu & miratu dignum eſt facinus paganæ Virginis (hoc pro capitis hujus clauſula addere non erit ingratum) quæ juvenis eam deperientis, & Venereo ardore flagrantis atq; extincti cineres ex buſto more avito collectos non oſſuario ad quietem, ſed vitro horario, quod clepſydram appellant, ad perennem motum incluſit, ut horas indicaret. Incertus, ſed ingenioſus, hoc illi poſuit epigramma:

Irrequiete cinis miſeros teſtaris amantes
More ſuo nullâ poſſe quiete frui.

Verba translata ex Belgico Masker vã de Werelt *Adr. Poiters.* Petis occultiorem ſenſum? audi ipſos quaſi manes in vitro ingemiſcentes. Quæ vitæ meæ fuerit inquietudo, poſt fata hoc in vitreo vaſculo conſpicies. Hìc noctes curro dieſque. Heu quorſum me mulier deduxit! quàm anguſtum eſt foramen, quod me cernis penetrare! cinis meus tenuiſſimus eſt, quia bis uſtus. Nullane ergo oſſibus meis reſtat poſt fata quies? Diſcite ſpectatores, eum, qui in vita turpi amore inquietus currit, etiam, quando poſt funera quieſcit, non quieſcere.

Satis hactenus nos quóq; diſcurrimus in Oſſilegio hoc noſtro, tandem igitur & erit quieſcendum. Unius adhuc reſtant colligenda oſſa: uni ſupereſt erigendus tumulus. Cujus nunc accipe rationem. *Eudoxus* variis Sepulcreti Weſtphalico-Gentilis capitibus de ritibus Romanorum funebribus diſſeruit, non autem eos aut omnes aut ordine ſingulos voluit exprimere, fortaſſis quia jam alii de re funebri fuſiùs tractârant. Allubeſcit autem hìc mihi ritum iſtorum omnium & modum & ordinem à capite ad calcem uſq; in typo novo, nec ut puto ineleganti, politico-morali proponere. Tu lector polite, inde tibi fac quóq; Oſſilegium, lege & judica. De veritate locuturus ſub figmento nil dicam alienum à veritate. Abſit invidia, quam veritas, ut ajunt, parere ſolet. En tumulum emortuæ veritatis, ſub quo hodie omnibus in mundi ſtatibus virtutes plurimas ſæpè corruere prô dolor! experimur. Propoſui quidem eam ex Vulnere ſive à Forturna, cum qua teſte Scaligero eodem loco ſtare neſcit, & à qua bello pertentatur, ſive ab odio & invidia hoſtibus ejus capitalibus inflicto mortuam; verùm etſi Vulnerata, ſemper tamen victrix æternùm florente palmâ triumphat.

CA-

CAPUT VII.

TUMULUS VERITATIS

Sive

Solennitatum apud Romanos funebrium ab *Eudoxo* descriptarum modus & ordo in typo politico-morali proponitur.

VEritas multas passa persecutiones & innumeris adversariorum telis petita lethali tandem cordis ictu sauciabatur. Adsunt quantocyus convocati Medici, qui de morbi statu ejusq; remedio adæquato acriter (philautiâ an invidiâ instigante dicam an veritatis amore) disputabant. Horum rixis multùm læsa veritas, abite, inquit, Viri litigiosi, istis contentionibus non servabitis Veritatem. *Veritas altercando amittitur.* Accedit mox ultrò & ne accitus quidem ex Paracelsi ergasterio frontem caperatus senex, qui auri quadam tincturâ, quam tantùm non universale crepabat remedium, tametsi auri soluti ne granum quidem contineret, veritati pristinam salutem, vigorem & longævitatem tam citò, *quàm pyrum vulpes comest*, audacter pollicebatur. Veritas jactabundam Viri impudentiam dedignata, facesse ait amice: *mentiris ut Medicus.* Ita totus confusus è cubiculo se proripiebat. Quo vix elabente haud morâ intrabat medicastra Uromantes, à nasutulis mulierculis, quæ subitis consiliis volunt valere, clanculum accersita. Anus hæc in spectanda matula impudentissima veritatis poscebat lotium, ut de conditione fati ferret prognosticon, & cœterorum Archiatrorum pharmacis longè exquisitius propinaret medicamentum. Veritas viso hoc stridulæ inter olores anatis spurco rostro justâ indignatione concitata in has erumpit voces:

Abi idiota circulatrix, hinc abi: facesse medicastra de thoro,
Cui loquacis affatim arrogantiæ est; peritiæ parum aut nihil,
Nec ulla mica literarii salis; Crumeni-mulga mulier,
Locutuleja anus, abi hinc simia, abi carcinoma,
Jatricen professa lotio tenùs, sophisticóq; schemate. &c. *Bitterkr. Thren. Med. c. 10.*

Excedit vetula, erumpit, evadit. Sic omni humanâ ope destituta *Alithea* fatis propiùs accedebat. Quod dum innotesceret Viro *Legumq; & Titulorum, æquiq; & juris iniqui* perito, ne rogatus quidem intrabat, de disponendis rebus & testamento condendo seriam in-

jiciens monitionem. Cui *Veritas:* Exi *Schindere* (ominolum hoc nomen erat Causidico) ne fatiga morientem, qui linguam habes lucro venalem. *Frustra hic vultur exspectas cadaver.* Nolo voluntatem meam ultimam longæ & dubiæ litis esse materiam. Nulla mihi possessio est, non fucis mendaciisq; quæsita pecunia. Unica restat tunica, candidissima, hæc mecum tumulator, ne in manus nequissimi mendacii deveniens mei ludat post funera speciem. His confestim loqui desiit, & spiritum amisit, rebus sic exempta humanis.

ap. Bald. in Antagathyrs. n.XLII.

Adstabant morienti *Astræa, Themis, Fidelitas, Amicitia* germanæ *Veritatis* sorores, quæ ultima lacrymis mixta oscula porrigebant. Inprimis amantissima soror *Astræa* extremum, qui super labia errabat, halitum ore legebat ingeminans verba *Antigonæ:*

in Hercul. fur. v. 1310

- - - - - - - - hanc animam levem
Fessamq; senio, nec minùs quassam malis
In ore primo teneo.

Hanc quippe nisi hausisset, & ipsa exanimis & omnino mortua concidisset. Volabat celerrimè per urbem & in aula rumor eam, quæ tot pepererat odia, fatis cessisse. Unde insolita undiq; lætitia, & ingens præprimis inter Rabulas forenses, mercatores, & artifices mechanicos tripudium, quod quæ plurima negotiis eorum facesserat impedimenta, jam letho data esset. Accurrere tùm properè vespillones, sandapilarii, libitinarii, pollinctores, cadaver prisco ritu abluere atq; unguentis delinire tentantes. Absit, ait soror *Fidelitas*, illud os unguine delibuere, quod semper labiorum odit pigmenta, illam lavare faciem, quæ nullos unquam admisit fucos. Satis est *Candore nitentia claro prætendere lintea membris.* Prorsus itaq; arcebantur. Sorores

Prudent. in Cath.

In lectum autem imponentes, linteo subtili texerunt
Ad pedes à capite: desuper autem albâ veste.

Homer. iliad. 2. in Patrocl. fun.

Quamvis & hanc postea furto surripuerit pessimum *Mendacium*, quâ sub veritatis larvâ credulo mundo imponeret.

Interea magno luctu fiebat *Conclamatio*, ut si forsan restaret in corpore anima, clamoribus excitam revocarent, ne, quod sæpius mulierculis hystericis contigisse constat, vivens tumulo inferreretur. Quocirca ad septimum usq; diem conclamatione sæpius repetitâ domi servabatur. Nolebant quidem Veritatis sorores (licet contra urgerent *Odium* & *Invidia* Veritatis degeneres filiæ) admittere fæminas,

Lucil. sat. 22.

Mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ,
Multò & capillos scindunt, & clamant magis,

animo

animo tamen nil minùs quàm plangentes. Oderat enim hos dolos ſemper Veritas. Illæ tamen ultro ad hoc ſervitium ſeſe offerebant, inprimis rabularum forenſium & agyrtarum uxores, quæ ore agebant næ nias, in ſummo pectore natantes lacrymas, in corde jubilum; illam, quæ toties occaſionem ſtrenuè mundo imponendi maritis præripuerat, jam exſpiràſſe. Recordebantur enim his aliquando à *Veritate* in faciem dictum illud Agellii: *Vos mera eſtis mortuaria gloſſaria: namq; colligitis lexidia, res tetras & inanes, & frivolas, tanquam mulierum voces præficarum.* Non denegari itaq; poterat conſuetudini & loquaculis iſtis decantandum *carmen miſerabile leſſi.* *l. 18. c. 7.*

Sole lucem reducente octavam omnibus ad exequias & cremationem paratis aderat famoſiſſimus Aretinus, per antiphraſin dictus *Politicus* (negabat enim Numen humanis rebus aut intereſſe aut curam intendere) *Præconis* vices ſubiens & populum voce contentâ ciens: *Olla veritas letho data eſt, exequias quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt; olla ex ædibus ecfertur.* Confeſtim auditâ præconis voce advolabant Viri famoſi Machiavellus, Arrius Montanus, Theon, Zoilus (paucos nomino, centum intelligas, quos retrò poſitos numerare longum foret) adulatores, mimi, paraſiti, thraſones, & multa impoſtorum turba, quorum pars feretro humeros commodabat, & funus efferebat. Adeſt *Deſignator*, jubet præcedere expreſſas cerâ ſymbolicas Veritatis imagines, quas præeunte togatâ Pallade longâ ſerie præferebant muſæ & ſeptem artes liberales, omnes Veritatem matrem ac nutricem ſuam triſti fato abreptam dolentes. Hoc comitatu funebris ducebatur pompa tardis paſſibus, & *Præfica* demiſſis antiis & fluentibus capronis miſerabiles planctus ululatu fæmineo reiterare non ceſſabat. Sequebantur ſorores & conſanguinei plurimi, qui mæſtiſſima ingeminabant ſuſpiria, quibus

Manabant lacrymæ ritu nivis; imbre madebant
Cunctorum veſtes, poprioq; in fonte natabant
Madentes oculi, vultuſq; ſinuſq; rigabant.

Coripp. l. 3. in fun. Juſtinian. Imper.

Lecticæ impoſita & prædictorum ſubnixa cervicibus ferebatur *Veritas.* Ipſa plebs candelis, funalibus, facibuſq; collucentibus inſtructa centuriatim ſequebatur. Deducebatur funus in forum. Offerebat ſe neſcio quis ex Hypocritarum familia Veritatem pro roſtris laudaturus, perfrictæ frontis & ex fraudibus conſutus Ardelio, qui ſine mendacio quidem, ſed ſimulatione fictâ in demortuæ laudem declamabat. Sermonem claudebat hic epilogus: *Vixit veritas, ſeceſſit ad aſtra, exoſa mundo, mundum peroſa, & vos ite Quirites, ſecuri nunc*

ab ea vivite, & Veritati suprema ferte munera, ejusq; justa debitè exsolvite. Finitâ oratione testudineo gradu pedetentim cum funere extra urbem progrediebatur tota multitudo, nam in agro longè à mœnibus remoto constitutus erat ustrinæ locus, ne Veritatis odor fortè offenderet adversariorum delicatos nares, aut ex ejus corpore quædam scintilla nociva ad domos pervolaret. Surgebat excelso fastigio erecta pyra. Turba namq; undiq; sylvis traxerat ferales taxos;

Nec non funereas altis de montibus ornos,
Fraxineasq; trabes, piceas, & mæsta cupressi
Robora.

Veritatis cadavere pyræ imposito omnes *Præficâ* præeunte novissimum inclamare verbum: *I, Licet*, & sorores extremum *Salve* & *Vale.* Parata fax erat, quam non cunctanter arripere Machiavellus, & accensam aversâ facie admovere rogo, Aretinus verò ejusq; Sodales picem injicere, ut citior fieret accensio & concrematio, soror autem *Fidelitas* gemitus & lacrymas in hæc verba solvere: Te moriente soror & me mori fas est, cùm sine te vivere haud liceat. Dixit,& flammis insiliit, resonante confestim magno Machiavellistarum & Aretinorum plausu. Jam vidisses, quo fervore musæ vexilla & vela symbolis & emblematis picta, aularum proceres occultæ Veritatis imagines undiq; ex palatiis surreptas in ignem projicerent, Aretinus autem sacrum codicem, & Machiavellus varia SS. Patrum volumina. Urgebant quidem nonnulli etiam immittendum esse *Corpus Juris*, sed hoc sibi servandum postulabant Causidici, ut si & ipsa ex mundo discederet Justitia Themidis filia, hoc ipsum veluti quoddam ejus cadaver sibi in terris restitaret. Et
L.1. met. fab.4. certè restitavit! excessit enim & ipsa non longè post è vivis teste Nasone nasutissimo:

Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Puellarum juvenumq; ingens numerus ad Romanum morem comas
Phædr. act.1.sc.1. resecatas & detonsos crines rogo consecrabat Senecæ verbis:

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Nostræq; frontis recipe abscissam comam.

Decreverant enim falsitate impòsterum in mundo Veritatis locum tenente fictis uti capillorum cincinnis. Succedebat mox militum, inprimis gladiatorum, quos bustuarios vocant, ingens caterva, sinistro ordine & versis insignibus circa rogum decursionem funebrem insti-
Xiphilin. in Sever. tuens: *Hìc confecêre milites, equites & pedites circa rogum cursus urbanos & confictos. Et armatus exercitus decurrit cum tri-*
Liv.l.25. *pudiis, motibusq; armorum & corporum suæ cuiq; genti assuetis.*

Et

Et quid mirum ? lætabantur quoq; & hi veritatem & fidelitatem jam mundo excessisse: quippe

Rara fides pietasq; viris qui castra sequuntur.

Hisce peractis non nemo è turba surgens juramento affirmabat se Veritatis animam vidisse è rogo provolare, linquere terras, & in cœlum ascendere, adeo ut jam meritò *Diva* censeri debeat, & solenni *Apotheosi* illius honori ac memoriæ procudi Numisma cum epigraphe: *DIVA VERITAS.* Cui risu sardonico Machiavellus: *Sit Diva dum non sit viva.* Cui & cætera turba consentiens acclamabat.

Incipiebat paulatim inter subsidentes rogi torres collabi cinis, cui jam *Silicernio* parentandum erat. Libitinarii, parasitiq; advolantes accumbebant. Sed prô invisa & inaudita cœna! prô fercula hactenus non degustata! *Veritate* quippe exulante eorum duntaxat speciem præseferrebant omnia.

Mensa parabatur congestis sandapilarum
Fragminibus; posita & sacrata silentibus umbris.
Quam simul instratâ funebria lintea mappâ
Texerunt: accumbendi data plena potestas.
Ecce sepulcrali cinis apportatur in urna
(Credo vicem Conchæ salis) in medioq; locatur.
Fercula præterea nulla aspicienda dabantur,
Præter funereâ nebulas caligine mistas
Grandibus in pateris, & plenos aëre discos.
Pocula sunt calvæ: sumptusq; infunditur humor
Gurgite lethæo, spumis oblivia miscens.
Omnia olent tumbas, & cespitem, & æthere cassum
Corpus, & ambustum gramen, bibulamq; favillam.

Ita ciborum non nisi umbræ ludebant, & horrenda rerum terrebant simulacra, quia aberat Veritas. Interea

It fumus cœlo, piceaq; intexitur umbrâ

Rogus fere extinctus. Legenda itaq; in ustrina restabant ossa, quæ sinu colligebat, & lacrymis prius rigata, vinoq; & odoribus pro more consperssa urnæ inferebat soror *Justitia* mærens & plorans, & *totas lacerata genas, dispersa capillos.* Oriebatur autem magna contentio, ubi reponenda esset feralis urna, tum ne à *Veritatis* hostibus diriperetur, tum ne ab ejus amatoribus devotione nimium religiosâ coleretur. In varias ibatur sententias. Democritus volebat in puteum esse demergendam, Orpheus in orco sepeliendam, Teuto tumulandam

dam in cella vinaria: *in vino enim Veritas.* Verùm in hiſce conditoriis minùs tutam fore repoſitionem replicabat ſoror *Themis*, abſit hoc ait: *facilis jactura ſepulcri eſt.* Statuendum in abdito erit monumentum, ut ſacrum perennet, nec à quopiam audaci manu violetur, aut innoteſcat *quêis ſedibus oſſa quieſcant.*

Singularis olim vivæ Veritatis amicus ſtylo ollæ inſculpebat antiquiſſimam epigraphen: *I. M. I. ST. B. ABSC.* id eſt *In Monumento Iſto Sunt Bona ABSCondita.* Abiêre itaq; & in Cryptis Eleuſino quaſi ſacro dicatis abditiori loculo, ad quem nonniſi per labyrinthos Dædalicos patebat acceſſus, urnam occultârunt, ut ab indigno mortalium conſpectu deinceps eſſet ſarta tectaque. Introitum claudebat ingens ſaxum, & ipſos cineres tegebat ſepulcrale marmor, inciſâ hac inſcriptione:

Sta, quiſquis hac tranſis,
Iſto ſub tumulo jacet
Sepulta magni nominis Veritas.
Benigno quidem cœli favore in mundum nata,
Livoris verò lethali vulnere denata,
Jubente fatorum inclementiâ.
Dum vixit
Citra omnem falſitatem Majeſtate ſplendoreq; clara
Charitum mater extitit,
Nunc
Fabula vulgi facta
Requieſcit prope Acheronta
Loco invio & inacceſſo.
Tumuli angiportum cuſtodiunt in caligine palpabili
Noctuæ lugubres, cum tremendis inferni poteſtatibus,
Primæ Veritatis hoſtibus.
Tu ſi fors oſſa petis luſtrare,
Scias
Huc non cluere viam,
Niſi boni genii conductu.
Ingredere & ſcrutare,
Sed non niſi candidâ mente,
Synceritate Duce vel Comite.

Hac itaq; pompâ parentatum eſt Veritati. Decretum namq; eſt Apollinis apud Euripidem in Alceſtide: *ſi anus moriatur, ſplendidiùs ſepelietur.*

pelietur. Quid enim Veritate antiquius? unicus tamen isq; postremus funeri honor defuit. Sepulcralis nempe pro veteri more ara, ad quam vel linguarum mendacium immolaretur hecatombe, vel elogiis personaret odarium, vel dolosarum vulpium victimæ caderent. Liceat ergo mihi hic brevi epilogo totam claudere fabulam. Veritate exule homines mox apprehenderunt ejus pedissequam versicolorem falsitatem veritatis tunicâ indutam. Ut enim illa ob nimiam lucem, quâ oculos perstringit, cunctis es exosa, sic hæc grata & accepta ob nubilum imposturæ splendorem, quo vel centum crassissimæ falsitates modò pictæ, fucatæ, vestitæq; sint, plures obtinent patronos, quàm unica & sancta *Veritas.* Perambula omnes mundi status: quid in iis invenies? *Veritas,* inquit Toparcha Merodensis, *in sepulcro scientiæ sepulta mansit, & ejus vice surrexit confusum rixarum genus sermocinale* (adde sarcasticum & theoninum) *pro doctrina reputatum.* Nolo brevitatis causâ excurrere per omnes scientias, in quas sub veritatis specie meræ rerum umbræ & sophismata irrepserunt, ut inter synceriores scientiarum indagatores perpetua sint pro veritate suspiria; & Scepticæ Sectæ unica & constantissima Thesis fuerit: *Nihil esse verum præter hoc unum quod verum nihil.* Quis enim nisi sit veritati inimicus inficiabitur, in universas professiones successisse simulationes, simplicitatis (quæ *veritatis sigillum est*) odium, verborum involucra, atq; perfidiam, ut ad servandam fidem tot hodie adhibeantur testes, tot stipulationum firmamenta, ut nemini credatur sine teste, sine sponsore, & tutiùs in chartis quàm in animi sacrario fidem & veritatem custodiri arbitremur. Audi Romanum Sapientem. *Monstrabo tibi, inquit, cujus rei inopiâ laborent magna fastigia: quid omnia possidentibus desit, scilicet ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, ipsâq; consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum vindicet à consensu concentuq; falsorum. Ibi fides in obsequium servile submissa est, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetq; : sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat.* Scilicet in aulis, imò universo mundo risus, lacrymæ, verba, cæremoniæ dolis & Sinonianis fraudibus deaurantur.

In tumul. Pest.

Seneca l. 6. de benef. c. 30.


Habes hic Benevole Lector mysticum Veritatis tumulum, & sub eo adumbratos Romanorum funerum ritus. Habes Ossilegium historico-physicum, in quo veritatem non tumulare, sed eruere, & ex obscurissimis antiquitatis adytis in lucem producere conatus sum.

l. cum ita legatum 63. §. 1. In fine ff. de condit. & demonstr.

Tu quisquis veritatem amas (*Veritas enim super omnia amanda*) & in rerum tam naturalium quàm moralium scrutinio candidè secta- ris, ejus tumbam utut altiùs reconditam sedulus mecum inquire, & ne falsitaris specie decipiaris, Epitaphium Philippæ Ducis Camerinæ sepulcro inscriptum, quid moneat, attende: *Quæ sunt pro iis, quæ non sunt: quæ si essent, pro iis, cum sint non sunt. Quæ videntur esse, pro iis, quæ clam sunt, in causa sunt id quod estis: scitis. Scrupulum injeci fateor. Tu igitur quisquis es excute.*

F I N I S.

SOLI DEO & MATRI VIRGINI GLORIA.



AD

SPHALMATA Typographi, & si quæ fortè Authoris, Sentias cum Horatio Polite Lector:

- - - - - Non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

